BX1759.5
P7
L4x

FERNDALE
NORWALK, CONN.



PROBABILISMUS VINDICATUS.

PROBABILISMUS VINDICATUS

AB

AUGUSTINO LEHMKUHL S. J.

CUM APPROBATIONE REV. ARCHIEP. FRIBURG. ET SUPER. ORDINIS.

FRIBURGI BRISGOVIAE.
SUMPTIBUS HERDER,
TYPOGRAPHI EDITORIS PONTIFICII.
MCMVI.
VINDOBONAE, ARGENTORATI, MONACHII, S. LUDOVICI AMERICAE.

BX1759.5
P7
L4x

Cum opus, cui titulus est *Probabilismus vindicatus* a P. *Augustino Lehmkuhl* sacerdote Societatis Iesu compositum aliqui eiusdem Societatis revisores, quibus id commissum fuit, recognoverint et in lucem edi posse probaverint, facultatem concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas et sigillo muneris nostri munitas dedimus.

Exaeten, die 5 Decembris 1905.

P. **C. Schaeffer** S. J.,
Prov. Germ. praepositus.

Imprimatur.

Friburgi Brisgoviae, die 19 Ianuarii 1906.

✠ **Thomas,** Archiepp̃s.

Omnia iura reservantur.

Typis Herderianis Friburgi Brisgoviae.

Monitum auctoris.

Probabilismum ab infestationibus et calumniis inimicorum Ecclesiae vindicare operae pretium non esse duxi. Tam multa in eum finem scripta exsistunt, ut, qui veritati serio student, habeant ubi inveniant: qui autem odio veritatis ea quae ignorant blasphemant, ne novis quidem elucubrationibus ad deponendos animos hostiles movebuntur. Ad domesticas tamen hostilitates omnino silere non potui, maxime cum inter auctores probabilistas ipse sim qui nominatim impetar. Ne igitur victas manus dare videar, paucis studui ea repellere, quae nuper contra probabilismum congesta sunt. Quo successu, lector iudicet.

FEB 22 1982



Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
Lyrasis Members and Sloan Foundation

http://www.archive.org/details/probabilismusvin00lehm

Index.

pag.

Monitum auctoris v

I. Occasio scribendi 1
§ 1 1

II. Brevis explicatio probabilismi aliorumque systematum moralium 4
§ 2 4

III. Argumenta contra probabilismum examinantur, atque primo quidem argumentum ex ratione petitum . . 16
§ 3. Argumentum adversariorum exponitur . . 16
§ 4. Variis modis argumento occurritur . . . 18
§ 5. Quaenam sit necessaria tendentia ad conformitatem cum lege aeterna 22
§ 6. De lege cognita, quae necessaria sit ad obligandum, et de cognitione opinativa secundum doctrinam S. Thomae Aquinatis et S. Alphonsi . . 24
§ 7. Expenduntur ulteriora, quae ad stabiliendum argumentum contra probabilismum ex ratione petuntur 32
§ 8. Rationes seu difficultates, quibus probabilistae antiprobabilistas impugnant, defendunt probabilismum, sintne vere dilutae et confutatae? . . 40

IV. Probabilismus vindicatur contra argumenta ex auctoritate S. Alphonsi desumpta 51
§ 9. Brevis responsio et accurata rei de qua agatur definitio 51
§ 10. Quae S. Alphonsus dixerit *contra* probabilismum, quae *pro* probabilismo dixerit 53

pag.

§ 11. Conciliatio eorum quae sibi videntur contradictoria, quibus ostenditur S. Alphonsum opiniones solide probabiles, etsi forte minus probabiles, numquam repudiasse 59

§ 12. Disquiritur, num approbationes et laudes, quibus Ecclesia S. Alphonsum prosecuta est, sensum antiprobabilisticum habeant 68

V. Auctoritas Ecclesiae perperam invocatur contra probabilismum 78

§ 13. Quae vis argumenti insit dictis et doctrinis SS. Pontificum ad certam aliquam doctrinam refellendam aut stabiliendam 78

§ 14. Decretum Innocentii XI circa probabilismum . 81

§ 15. Quae ante decretum Thyrsus Gonzalez apud Innocentium XI egerit 83

§ 16. Quomodo gesta Thyrsi Gonzalez iuvent ad intelligendum sensum decreti Innocentiani . . 92

§ 17. Tenor et natura decreti ostendunt nihil contra probabilismum inde confici posse . . . 97

§ 18. Quae post decretum Innocentii XI acta sunt, ostendunt vim decreti tantam non esse, ut argumentum contra probabilismum ex eo ductum valeat. — Oliva contra incriminationes defenditur 100

§ 19. Num gesta aliorum Pontificum quidquam probent contra probabilismum 112

§ 20. Auctoritas Ecclesiae potiore iure in favorem probabilismi invocatur quam contra illum . . 117

§ 21. Ad incriminationes probabilismo obiectas brevis responsio 120

I. Occasio scribendi.

§ 1.

Postquam S. Alphonsus adversarios in re morali, qui, ex parte severioris sententiae stantes, conscientias implicuerant, doctrina et auctoritate sua deiecit: benignior illa ratio opinandi vix non in toto orbe christiano praevaluit, et quamquam in rebus secundariis alii aliter sentiebant diversisque lucubrationibus scientiam moralem promovere satagebant, graviores dissensiones exsulare videbantur, diuturna vero pax conclusa esse atque concordia.

Sed a paucis annis aliqui Patres C. SS. R. infestissimum bellum intulerunt probabilismo atque eum plane e medio tollere sibi provinciam esse videntur existimasse, tamquam suo aequiprobabilismo adversarium capitalem. Imprimis cogito opuscula, quibus tituli:

„Ven. Innocentii PP. XI de probabilismo decreti historia et vindiciae etc., auctore **Franc. Ter Haar C. SS. R.**, *Tornaci, Casterman 1904“* et: *„De minusprobabilismo seu de usu opinionis quam quis solide sed minus probabilem esse iudicet, auctore* **Lud. Wouters C. SS. R.**, *Parisiis 1905, Lethielleux“*, atque alia eorundem scripta.

Hucusque difficultates quae contra probabilismum, imprimis a *L. Wouters,* in variis foliis periodicis motae erant, non tantas aestimabam, ut fusiore calamo contra eas scribere necessarium putarem; sed data occasione in sequenti aliqua editione meae Theologiae moralis eas

paucis perstringere satis esse ducebam, maxime cum responsis in ipsa Theologia morali I n. 94 sqq datis nihil umquam, quod rem evinceret, fuerit obiectum.

Verum post evulgatum anno 1902 decretum *Innocentii XI* quasi contra probabilismum latum adversarii multo fidentius probabilismi causam desperatam esse pronuntiant atque multas gravissimasque contra eum proferunt incriminationes. Quae etiam invitum cogunt accuratius rem cognoscere et ad obiecta respondere. Afferam primum incriminationes contra probabilismum.

1. Probabilismus est ipsissimus laxismus. „Nos equidem cum S. Alphonso et aliis talem probabilismum [simplicem probabilismum] laxum dicere non dubitamus . . . *‚il vero lassismo‘;* idque non sola auctoritate ducti, at etiam internis rationibus. In qua re considerandum praeterea est, primum quidem etiam haec quae citavimus S. Alphonsi de simplici probabilismo dicta a S. Sede *nullae censurae* obnoxia habita esse.“ Ita *Ter Haar* 106 not. 2.

2. Probabilismus tendit in hoc, ut homo paulatim ea, quae a mero arbitrio, ab utilitate, a passionibus decernuntur, substituat praeceptis boni et honesti. *L. Wouters* enim l. c. 102 sq loquens de probabilismo not. 1 refert atque sua facit verba *Mandonnet* („Apposite *Mandonnet O. Pr.“)*: „. . . la marche logique et naturelle du travail qui s'opère dans la conscience, tend à la conduire de plus en plus vers l'extrême atténuation de l'obligation morale, vers la substitution de l'arbitraire du bon plaisir, de l'intérêt ou de la passion à l'impératif de l'honnêteté et du bien.“

3. Probabilismus „multarum animarum iacturae causa“ est. Ita *Ter Haar* l. c. 136, provocans ad S. Alphonsum.

4. Probabilismus et divinae providentiae ductus sibi adversantur. Nam, teste *Ter Haar* 125, „Catholico theologo, qui historiae ecclesiasticae cursum attente considerat catholicaeque scientiae evolvendae rationem habet, luce clarius est, providentiae ductum saeculorum decursu tum simplici probabilismo seu minusprobabilismo tum rigidiori probabiliorismo adversari."

5. Defensio probabilismi haud parum iuvat causam adversariorum Ecclesiae. Haec enim *Ter Haar* l. c. 136: „Dolendum nobis videtur, quod illi auctores, probabilismi velut amore capti, non perpenderunt, *se ita causam adversariorum Ecclesiae haud parum adiuvisse, suaque auctoritate eorum contra Ecclesiae catholicae doctrinam moralem accusationes sustentasse.*" [1]

6. Probabilismum Ecclesia toties aversata est; probabilismi fautores Ecclesiae votis non respondent. „Faxit Deus O. M. — sunt verba *L. Wouters* l. c. 103 — ut omnes tam regulares quam saeculares veritatem tantum et pacem diligentes Ecclesiae optatis tandem respondeant, illudque, cui toties sapientissima mater est aversata, systema deserant!" — Idem fere *Ter Haar* 157, cum dicat:

7. „Iam vero quae . . . expendimus. illud sane demonstrant, verum hunc progressum in solo consistere *aequiprobabilismo* Alphonsiano, ac proinde opinionis minus probabilis cognitae defensionem ‚*anachronismum*' esse atque scientiae catholicae *in viam, quae Summorum Pontificum ductui adversatur, regressum.*"

8. Probabilismus solis sophismatibus et inanibus distinctionibus defenditur neque aliter defendi potest.

---

[1] Haec distinctio per literas italicas *a nobis* facta est, sicut etiam in subsequentibus.

De unico enim argumento intrinseco, quod tum Fr. Ter Haar tum L. Wouters pro suis opinionibus afferunt, ita loquuntur: „Adversus hanc quam modo exposuimus ratiocinationem *subtilitates tantum sophisticae* obici possunt. Omnes quidem, quae a tribus saeculis, magis porro tribus postremis decenniis, pro simplici probabilismo vel minusprobabilismo, i. e. pro licito usu opinionis minus probabilis cognitae, allegatae sunt rationes, *principali illo et communi aequiprobabilistarum et probabilioristarum argumento praeoccupantur atque enervantur.*“ *Ter Haar* 10.

Quae quantopere a vero abhorreant, hisce paginis ostendere conabor.

Rationes autem quibus adversarii, quae probabilismo obiciunt, reddunt probabilia, revocantur ad tres: ad rationem intrinsecam, ad auctoritatem S. Alphonsi, ad agendi rationem Ecclesiae circa doctrinam moralem. L. Wouters ex his rationibus tria argumenta in forma syllogistica efformavit. Quo clarius igitur sit meum responsum, huius adversarii formam sequar eique ex ordine respondebo, ita tamen, ut simul etiam eorum, quae alter adversarius dicat, rationem habeam.

Antequam autem in certamen descendam, breviter exponenda est causa de qua disceptatur, seu probabilismus aliaque systemata moralia atque eorum discrimen paululum necesse est explicare.

II. Brevis explicatio probabilismi aliorumque systematum moralium.

§ 2.

Humanae rationis debilitate fit, ut sicut in aliis rebus ita etiam in iis, quae ad mores pertinent, non omnia clara neque certa sint. In definiendis et interpretandis

legibus tum naturalibus tum positivis sive divinis sive humanis atque in obligationibus circumscribendis multa manent dubia et incerta. Quomodo igitur in hisce dubiis occurrentibus homo agere debeat, ne violatae legis Deique offensae reus fiat vel conscientiam laedat, a theologis inquiritur. Prout autem generalem hanc quaestionem, quae in toto theologiae moralis ambitu frequentis usus est, alii aliter solvant, dicuntur aliud atque aliud systema morale statuere.

Ante omnia omnes tenent, dubium, quantum fieri possit, per diligens studium esse solvendum, atque solummodo quando dubium solvi nequeat, secundum varia systemata licere a lege forte exsistente abstrahere libertatemque sequi; alioquin eligenda esse tutiora seu obligationem fortasse exsistentem implendam esse.

Dubium autem, quod sive pro libertate sive pro lege adesse sumitur, diversos potest habere gradus. Videlicet potest esse levis quaedam ratio, quae assensum non meretur — et vocatur *improbabilis;* opinio, quae tali ratione sola nititur, dicitur *improbabilis opinio.* Potest esse ratio *gravis,* quae prudentis viri assensum mereatur et tanti ponderis est, ut cum veritate persaepe coniungatur; quae opinio tali ratione nititur, vocatur *probabilis.* — Quodsi ratio non adeo quidem levis est, ut nullum prudentis assensum mereatur, neque ita gravis, ut dici possit vere probabilis, vocatur *tenuiter probabilis* vel *dubie probabilis,* at simpliciter probabilis nequaquam dici potest.

Hinc opiniones *probabiles, dubie probabiles, tenuiter probabiles.* Inter *probabiles* rationes et opiniones si qua est tanti valoris, ut fere certitudinem pariat, vel leviores tantum rationes suadeant contrarium, dicitur *probabilissima.*

Probabilior recte non dicitur, nisi cum comparatione ad contrariam rationem vel opinionem, videlicet si graviores vel plures rationes militant pro una opinione quam pro contraria, ita tamen, ut pro contraria illa etiam graves omnino rationes esse possint.

In certa igitur aliqua quaestione de lege obligationeque, exsistente dubio insolubili, si utrimque sunt rationes et pro libertate absentiaque obligationis et pro lege atque obligationis exsistentia, utrimque opiniones:

1. qui tenent, semper standum esse pro lege — sequuntur *rigorismum;*

2. qui tenent, ad amplectendam licite opinionem libertati faventem requiri, ut pro libertate sint rationes probabilissimae, contrariae rationes legi faventes sint improbabiles — sequuntur *rigorismum moderatum;*

3. qui tenent, ad amplectendam licite opinionem libertati faventem requiri, ut rationes pro libertate probabiliores sint, quam quae militant pro lege — profitentur *probabiliorismum;*

4. qui tenent, sufficere et requiri rationes aeque probabiles, profitentur *aequiprobabilismum;*

5. qui tenent, exsistentibus rationibus et opinionibus utrimque probabilibus, licere sequi probabiles opiniones pro libertate, neque necesse esse, ut iudicetur eas esse probabiliores aut saltem aeque probabiles, profitentur *probabilismum.*

6. Si quis vero ad excutiendam obligationem leviore et improbabili ratione contentus esse velit, dicitur incidere in *laxismum.*

In hac primorum principiorum seu systematum varietate Ecclesia non condemnavit nisi duas propositiones extreme sibi oppositas: 1ª est thesis 3ª ab Innocentio XI damnata: „Generatim, dum probabilitate sive intrin-

seca sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi, aliquid agimus, semper prudenter agimus." (Theses illae 65, ex quibus haec est thesis 3ª, damnatae sunt *ut minimum tamquam scandalosae et in praxi perniciosae.*)

2. Alexander VIII damnavit theses 31 *tamquam temerarias, scandalosas, male sonantes, iniuriosas, haeresi proximas, haeresim sapientes, erroneas, schismaticas et haereticas respective,* inter quas est thesis 3ª: „Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam."

Reprobato igitur laxismo et absoluto rigorismo, expressa quidem condemnatio severiorum systematum facta non est; nihilominus Ecclesia variis modis suum sensum ostendit, sententias severiores pro norma obligante nemini posse imponi; atque ille modus opinandi et iudicandi semper in Ecclesia praevaluit, secundum quem inter opiniones vere probabiles de rebus moralibus liceret pro arbitrio eam eligere, quae benignior esset et consuleret magis libertati.

Itaque cum *Barth. Medina* circa annum 1577 primus axioma probabilismi enuntiavit, quoad rem nihil novi fecit, sed id formaliter statuit, quod praxis semper observaverat. Et quamquam id quod dixit, licere sequi sententiam probabilem *relicta etiam probabiliore,* aliquorum mentes percellebat et offendebat, eo quod antea id nondum a quopiam efferri audierant: tamen haec erat logica consequentia principii communiter admissi, ex quo inter opiniones utrimque probabiles quamdiu etiam benignior opinio maneret vere probabilis eligi quamlibet posse pro arbitrio statuebatur; ideoque obligatio negabatur expendendi, quae magis, quae forte minus probabilis sit.

Iuvat referre, quae Cardinalis *D'Annibale,* auctor in theologia morali classicus, de historico huius disciplinae progressu, succincte exponit Summula theol. mor.[3] I n. 8 sqq:

„In theologia morali, prout in scientiis ceteris, multa saepe occurrunt in iure haud satis explorata, ideoque dubia et incerta. Super his per tria et amplius saecula steterat unicuique sententia sua, multis (quoties dubium grave ac probabile ultro citroque videbatur) libertati studentibus, multis legi: sed nondum aliquis animo agitaverat suscipere ex professo patrocinium alterius adversus alteram: id primum factum est opera *Antonii Cordubensis* et *Bartholomaei Medinae.* Itaque Cordubensis anno 1572 pro lege decertare instituit, contendens, in dubiis huiusmodi semper partem tutiorem tenendam esse (Quaestionar. theol. l. 2, q. 3). Cui ex adverso stetit anno 1577 Barth. Medina, professor Salmanticensis; is nostram agendi libertatem pro viribus tueri coepit, ratus, prudenter atque ideo sine reprehensione agere eum, qui in his dubiis sequitur opinionem libertati faventem, dummodo vere graviterque probabilis ea sit, relicta etiam probabiliore pro lege (Commentar. in 1. 2, q. 19, a. 7). Inde *Tutiorismus* et *Probabilismus, Tutioristae* et *Probabilistae.* Haec contentio scholas in duas sectas diduxit; et utraque, regula sua freta, contempsit alteram.

„Et hucusque utraque stare poterat. Sed mox (quae humani ingenii natura est) multi ex utraque eos fines praetergressi sunt, quos ultra citraque veritas consistere nequit, donec, auctoribus illinc *Sinnichio,* hinc *Camaruele,* ad extrema delapsum est; illis negantibus, nos opiniones quae favent

libertati sequi posse vel *probabilissimas;* his contra affirmantibus, sequi posse vel *tenuiter probabiles.* Inde *Rigorismus* et *Laxismus;* utrumque monstrum, alterum tetrum, alterum ludicrum. Laxismum damnavit Innocentius XI anno 1679, rigorismum Alexander VIII anno 1690.

„Nec lis ideo finita est. Scilicet ex eo tempore nulli amplius incertum fuit, quanti in dubiis faciendi sit opinio sive probabilissima, sive tenuiter probabilis. At vero si quae proponeretur media inter utramque (i. e. vere graviterque probabilis) favens libertati, utrum illa teneri posset, lis remanserat sub iudice: tutioristae grandi supercilio negabant; probabilistae affirmabant, et satis hercule confidenter. Diu heic certatum est, nec amice (nempe decipimur specie recti). Primo initio probabilismus discessit superior; et ab anno circiter 1610 (quando egressus est ex finibus Hispaniae) usque ad annum circiter 1650 scholis fere omnibus potitus est: praesertim ex quo *Suaresius* illum ad sententias coërcuit probabiles probabilitate non facti, sed iuris. (*Suarez* in 1. 2ae *S. Thomae* tr. 3, disp. 12, sect. 6.) Scilicet *B. Medina* docuerat, opiniones probabiles [nos] sequi posse *in omnibus negotiis.* Hoc *Suaresio* merito displicuit; et probabilismum ad eas sententias limitavit, in quibus de *solo licito vel illicito* agitur. Quam limitationem mox amplexus fuit *Bañez* O. Pr. 1. 2ae q. 10, a. 1, dub. 3, concl. 4, et exinde universa schola probabilistarum. Ex quo liceat obiter animadvertere, Patres Soc. Iesu probabilismi non auctores — ceu quidam commenti sunt — sed moderatores fuisse. Nam ei nomen dederunt discipuli *D. Thomae* omnes, uno vel altero excepto,

Scoti discipuli, *Mastrio* teste († 1669), qui probabilistarum sententiam vocat *communissimam* et *receptissimam in omni schola,* Patres Soc. Iesu omnes prorsus, frustra in contrarium adnitente praeposito eorum Generali *Thyrso Gonzalez;* quibus, exceptis Theatinis, theologi paene omnes suffragati sunt. Verum cum saeculo 17°, multis theologis libertati plus aequo indulgentibus, prope in laxismum relabi videretur — docebant enim fas esse sequi opiniones libertati faventes vel tantum probabiliter; immo quod a laxismo vix distat etiam dubie probabiles —: tutiorismus nactus opportunitatem, duce *Candido Philalete,* i. e. *Andrea Bianchi* S. J. anno circiter 1640, resumptis viribus, insperato probabilismum incessit, eoque, suffragantibus deinde theologis O. Praed. quibusque doctissimis, cum propter multorum intemperantiam iam multorum subierat invidiam, fere undique extruso, sub nomine *Probabiliorismi* (quod etiam nunc retinet) scholis paene universis incubuit, theologis e Soc. Iesu aliisque paucis nihilominus in data probabilismi fide manentibus. (Scilicet digitis numerari possunt, qui descivere a probabilismo, nempe *Comitolus* † 1626, *Elizalde* † 1698, *Taberna* † 1698, *Camargo* † 1702, *Antoine* † 1743, *Maniessa* qui scripsit 1795, et nescio quis alius.)

„Actum erat de probabilismo, altius in dies spirantibus tutioristis, praesertim post damnatas ab *Alexandro VII* annis 1665, 1666, et ab *Innocentio XI* anno 1679 plures illorum sententias, nisi in sequenti saeculo contigisset *S. Alphonsus M. de Ligorio.* Is animarum zelo succensus primo probabiliorismo seu tutiorismo, eoque profligato, *lato* probabilismo letale bellum indixit, saluti animarum aeque perniciosis.

Itaque tuendum suscepit: *Licitum esse uti opinione probabili etiam in occursu probabilioris pro lege, semper ac illa certum ac grave habeat fundamentum.* Et ita moderatum probabilismum firmissimo sed enim ac solidissimo fundamento restituit. Nempe ante omnia statuit illud: *Lex dubia non obligat;* ex quo deduxit: *In dubio melior est conditio possidentis;* ex hoc autem intulit, in dubiis neque pro libertate semper, neque semper pro lege respondendum esse, sed oportere animadverti, utra earum in possessione sit, proque ea respondendum esse, seu libertate seu lege. Et sic haec doctrina omnium forte antiquissima postliminio tandem aliquando reversa est. Et licet S. Doctor in suo systemate moderatum probabilismum contra probabilioristas (quem postea seipsum forte satius explicando, ut *latum* probabilismum coërceret, *aequiprobabilismum* appellavit) tuendum susceperit, in tota sua theologia morali hac regula perpetuo usum fuisse, nemo profecto qui eum legerit, infitias iverit."

In nota 105 et 106 idem clarissimus auctor addit:

„S. Alphonsus sententiam suam pedetentim explicuit. 1. Primo tempore, ab anno 1749 ad annum 1755 *minus probabilem* pro libertate tuendam suscepit. 2. Postea ab anno 1755 ad annum 1762 hac praetermissa, probabiliorem vel saltem *aeque probabilem* defendere coepit. 3. Demum, repudiata *minus probabili*, probabiliorem vel saltem aeque probabilem ab anno 1762 propugnavit. Et exinde coepit aequiprobabilismum palam profiteri eumque *systema suum* appellare. ‚Non admittimus minus probabilem, sed dumtaxat aeque probabilem.' — Praestat ipsum S. Doctorem audire: ‚Quoniam multi

probabilistae sine distinctione dicunt, posse nos sequi sententiam minus probabilem, quando adsit pro ea aliquod momentum rationis vel auctoritatis, ideo volui distinguere dicendo, nos non posse sequi minus tutam sententiam, quando sententia tutior *multum et certo* praeponderat' (Apol. cont. il P. *Patuzzi* anno 1765)[1]. Et ita a confessariis sui Instituti teneri se iussisse testatur ‚perchè non abracciano il vero lassismo' (Lett. al P. *Blasucci* anno 1767). Moderatum autem probabilismum eiusque sectatores numquam impugnavit: ‚Scripsi non contra auctores sanae doctrinae, sed contra auctores nimis benignos, ne moralem christianam relaxatam videamus per immoderatam opinandi libertatem' (Dichiar. del sistema etc., Napoli 1774, n. 50)."[2]

Ex quibus patet, Cardinalem *D'Annibale* essentiale discrimen inter verum probabilismum et aequiprobabilismum Alphonsianum non invenire, idque recte. Nam probabilismus, cum requirat sententias vere probabiles, ut in favorem libertatis iis uti liceat, repudiat sententias improbabiles, tenuiter probabiles; ideoque probabiliorem sententiam pro lege exsistentem sequendam esse docet, quando opposita non manet vere et solide probabilis.

---

[1] Pro textu italico dedi versionem latinam. S. Alphonsus verbotenus haec habet: „Perchè molti Probabilisti indistintamente diceano, potersi seguire la meno probabile quando vi è qualche appoggio di ragione o di autorità, perciò ho voluto distinguere col dire, che non può seguirsi l'opinione men tuta, quando è molta e certa la preponderanza per la più tuta."

[2] „Ho scritto, non contro gli AA. di dottrina soda, ma contro gli AA. troppo benigni, per non vedere la morale cristiana allargata dalla smodata libertà di opinare."

Aequiprobabilismus Alphonsianus non requirit ut pro libertate stari possit sententiam aeque probabilem sensu stricto, sed sensu *lato,* ita ut admittat omnes sententias *vere probabiles,* neque velit excludere nisi sententias non amplius vere et graviter probabiles. Ratio enim, cur S. Alphonsus *quasdam* opiniones minus probabiles reiecit, ab ipso ea assignatur, „quia opposita non amplius manet vere probabilis", eo ipso innuens, se, si sententia vere probabilis maneret, eam ab usu practico non exclusurum esse.

Loquendi modus S. Alphonsi et probabilistarum in hac una re paululum discrepat, quod S. Doctor in posterioris aetatis scriptis *ex notabiliter maiore* probabilitate certo cognita unius sententiae eo ipso concludat ad improbabilitatem sententiae oppositae, cum probabilistae *id in medio relinquant,* contenti ea affirmatione, deserendam esse sententiam sententiae certo probabiliori oppositam, *quando* haec opposita evaserit improbabilis vel tenuiter probabilis. Id practice plerumque ita esse, si quando opposita primo intuitu appareat *certe et notabiliter* probabilior, vix est qui neget; ex ipsa autem sola maiore probabilitate certo cognita qua tali id consequi atque propterea semper et ubique id obtinere, non audent fateri, cum id iis cum S. Alphonso aetatis prioris videatur esse contra leges logicae, neque videatur impossibile esse, ut quis acuti ingenii probabilitatem *paulo* maiorem *certo* perspiciat: in quo casu ipse S. Alphonsus eam sententiam, utpote *fere aeque probabilem,* pro praxi omnino admittit[1].

[1] Similem explicationem doctrinae S. Alphonsi habes in docta dissertatione P. *G. Arendt* S. J., cui titulus: „Fundamenta aequiprobabilismi" in folio period. „Analecta eccles." XIII 356 sqq.

Illum autem agendi modum, quo liceat sequi benigniorem sententiam inter utrasque *probabiles,* etsi videatur minus probabilis, fuisse semper in usu, *S. Alphonsus* nitide et clare exponit in Dissert. de opinione minus probabili anni 1755, ubi n. 8 ita habet:

„Nec valet dicere, sententiam benignam fuisse in Ecclesia omnino novam et prioribus saeculis inauditam usque ad tempus Barth. Medinae, qui primus illam excogitavit ac evulgavit. Nam respondetur, quod licet prius haec doctrina ab antiquis numquam tradita fuerit in terminis, quibus exposuit *Medina* (vir quidem doctissimus, qui ex praecepto P. Seraph. Cavalli sui Generalis *Expositiones* in 1, 2 D. Thomae edidit anno 1577); attamen in substantia terminis aequivalentibus eam satis tradiderunt, utque testatur *Christ. Lupus,* in praxi illa communiter usi sunt. Et quamvis universe docuerint, parti probabiliori adhaerendum, ibi tamen locuti sunt non de probabiliori secundum rei veritatem, sed de ultimo dictamine circa honestatem actionis; quod motivum formatur tam a motivis formantibus rei verisimilitudinem, quam ab aliis probantibus actionis honestatem. Ubi vero loquebantur de iudicio speculativo circa delectum opinionum probabilium, sive circa probabilitatem, quae respicit veritatem rei, a nobis non discreparunt, ut ex eorum scriptis videbimus.

n. 9. „Nequit autem negari, quod spatio centum annorum circiter, vel saltem usque ad medietatem saeculi 17^{mi} (ut iidem contrarii fatentur) benigna sententia ab omnibus Doctoribus recepta est. Si illa omnino nova et inaudita fuisset, quomodo sine contradictione omnes fuissent eam amplexati? . . . Si sententia benigna fuisset opposita traditioni aposto-

licae et communi sensui doctorum qui Medinam praecesserunt, quomodo mille contradictores non insurrexissent adversus eam et damnassent? Tanto magis, quod fautores benignae sententiae scripserunt paulo post editum Tridentinum, quod ideo coactum fuit, ut morum pravitatem, quae per orbem christianum irrepserat, eliminaret; unde praesules et Pontifices, si illam ut damnosam doctrinam habuissent, totis certe viribus pro illius eliminatione incubuissent. Anne putabimus, Deum tunc temporis Ecclesiam deseruisse, permittendo, hoc errore tam pernicioso (ut ipsi clamitant) fideles undique decipi?"

Pauca illa, quae ex S. Alphonso retulimus, lectorem evidenter docent, eiusdem S. Doctoris filios hodiernos ex ipsius adversariis petere arma, quibus probabilismum et ipsum Sanctum impetant, eiusque scripta priora turpissimis erroribus scatere demonstrent. Omnia enim, quae probabilismo crimini vertunt, in S. Alphonsum, probabilismi defensorem, necessario convertuntur, atque ea scripta spectant, in quibus Ecclesia post maturum examen, „nihil censura dignum" inventum esse solemni iudicio declaravit. Sed de his postea plura!

Veniamus ad argumenta, quibus adversarii probabilismum prosternere posse arbitrentur, videlicet *eam* probabilismi doctrinam, quae docet, licere sequi sententiam benignam *solide probabilem,* etsi opposita videatur vel sit probabilior. Nam ne quod dubium restet de sententia solide seu gravibus rationibus probabili in occursu probabilioris sententiae severioris ab adversariis repudiata, *L. Wouters* in ipso libelli titulo punctum controversiae sic efferendum curavit: „De minusprobabilismo [1]

[1] Praetermittere non possum, quin graviter reprehendam novum

seu de usu opinionis, quam quis *solide* sed minus probabilem esse iudicet.“ — Uti supra notavi, in examinandis argumentis et rationibus adversariorum secuturus sum imprimis formam utpote breviorem, qua *L. Wouters* argumenta exposuit, ordine tamen inverso; dein etiam rationes a *Fr. Ter Haar* propositas ad trutinam revocaturus.

III. Argumenta contra probabilismum examinantur, atque primo quidem argumentum ex ratione petitum.

§ 3. Argumentum adversariorum exponitur.

Wouters l. c. 58 argumentum internum seu directum unicum sic instruit:

„Debeo sincere tendere ad convenientiam actionis seu electionis meae cum ipsius actionis moralitate

illud nomen „minusprobabilismi“, quo adversarius systema probabilismi appellat, quod etiam alter adversarius adhibuit atque in latina editione sui libelli iis locis addidit, ubi in germanica editione originali id exsulavit, quo immo, quasi dato signo, alii etiam aequiprobabilistae postremis temporibus utuntur ad probabilismum sibi invisum exprimendum. Quod nomen utique aptum est ad rem despicatam reddendam, non ad ipsum systema rite intelligendum. Systemata enim moralia reliqua nomen suum petunt ex eo, quod singula postulant, ut sententia aliqua practico usui esse possit. Tutiorismus systema vocatur, quod postulat sententiam *tutiorem;* Probabiliorismus, quod postulat, ut sententia sit *probabilior;* Aequiprobabilismus, quod postulat, ut sententia sit *aeque probabilis;* Probabilismus, quod postulat, ut sententia sit *vere probabilis:* sane *non postulat,* ut sententia, quam licitam dicit, sit *minus probabilis.* Solus laxismus, qui re vera systema non est et quem nemo se defendere vel sequi fatebitur, ex illo nomen traxit, quod permittit, atque cum despectu ab aliis isto nomine vocatur. Despicabilia eiusmodi nomina facile cuivis systemati inuri possunt; verum haec adversariorum causam neque probant, neque prae altera commendant.

obiectiva, seu cum legis aeternae ordinatione obiectiva vel antecedenti circa illam actionem. Atqui id haudquaquam praesto, cum eligo seu sequor normam, quae meo iudicio praedictae moralitati seu ordinationi *probabilius adversatur* quam convenit cum ea, relicta norma quae eidem ordinationi *probabilius congruit* quam *non congruit* ei; aliis verbis, cum tamquam normam agendi eligo seu sequor propositionem hanc: *Actus hic vel ille permittitur,* dum mea opinione *probabilis antecedenter non permittitur sed prohibetur.*"

Subiungit idem auctor p. 60 aliam argumentandi formam:

„Ut actio seu electio mea honesta sit, dirigi debet, si fieri possit, studio assequendi convenientiam cum legis aeternae ordinatione antecedenti. Atqui eo studio non dirigeretur electio mea, si sequerer normam agendi, quae meo iudicio praedictae ordinationi probabilius adversaretur, quam conveniret cum ea, aliis verbis, si sequerer normam hanc: *Actus hic et ille permittitur,* dum meo iudicio *probabilius antecedenter non permitteretur.*"

Quamquam, ut ait auctor, *Maior* argumenti „probatione non indiget" et *Minor* „adeo clara est atque perspicua, ut nemo eam negaturus sit": nihilominus quasdam rationes affert ad utramque propositionem probandam seu confirmandam. Sed antequam has rationes examinaturus sim, dicam, quid sentiendum de argumenti sive priore sive posteriore forma. Mihi enim neque *Maior* neque *Minor* ita evidens est, ut victas manus dare debeam. Immo tot praesto sunt responsa ut respondenti difficile sit ad pauca se restringere.

§ 4. Variis modis argumento occurritur.

Respondeo igitur I retorquendo argumentum contra aequiprobabilismum ab adversariis admissum: Secundum hunc aequiprobabilismum licet sequi opinionem benignam, quae sit *paulo minus* probabilis, seu actionem ponere, quae paulo probabilius — ut adversarii loquuntur — antecedenter est prohibita. Verum etiam in hoc agendi modo non minus quam in agendi modo probabilistarum deest illa sincera tendentia ad conformitatem cum divino intellectu et voluntate antecedenti. Reverentia enim erga Deum prohibet, quominus liceat „paululum" ab eius voluntate declinare. Neque dicant, in eo casu *dubium* esse, sitne haec an opposita opinio probabilior. Nam S. Alphonsus, ubi de suo systemate aequiprobabilismi loquitur, non ex solo dubio maioris aut minoris probabilitatis liceitatem benignioris opinionis repetit, sed ex eo „quod in moralibus *parum pro nihilo* reputetur"; quod evidenter supponit, etsi *constaret* opinionem benignam esse *paulo minus tantum probabiliorem* quam oppositam, licere nihilominus eam sequi. Ergo tota vis retorsionis subsistit.

Resp. II. Ceterum ne id quidem quidquam valet, si adversarii fugere volunt ad minorem probabilitatem *dubiam.* Nam sumo ipsissima verba S. Alphonsi a *L. Wouters* 41, not. 1 laudata ex epistola ad Villani (Lettere II n. 188): „Circa sententiam probabilem teneo duas res pro certis. Primum est, contra P. N., posse nos omnino sequi sententiam probabilem pro libertate, si *aeque* aut *paulo minus* probabilis est, ita ut dubium sit, fueritne talis sententia aeque, an paulo minus probabilis quam contraria, quae stat pro lege." [1] Quodsi

[1] „Io, circa la probabile, tengo due cose per certo. La prima

conditio sententiarum ea est, quae describitur, usus sententiae stantis pro libertate certissime *saltem aequum* periculum deviandi a lege aeterna inducit, quam usus sententiae stantis pro lege, *fortasse* inducit *maius* periculum; usus alterius sententiae stantis pro lege *certissime non maius, fortasse minus* periculum deviandi a lege aeterna inducit. Ex quo evidens est, si debeo, quam maxime possum, ad conformitatem cum lege aeterna tendere, evitare difformitatem, me teneri ad eligendum usum severioris sententiae, eo quod hoc modo evitem *certo* maiorem difformitatem a lege aeterna, quam non certo evito per usum sententiae benignioris. Nihilominus S. Alphonso *certum est*, licere usum sententiae benignioris. Ergo S. Doctor non agnovit obligationem istam tendendi quam maxime seu quam proxime ad conformitatem cum lege aeterna.

Resp. III — id quod potissimum est —: Ex principio illius tendentiae, quam statuunt *L. Wouters* et *Ter Haar*, plane sequitur, non solum probabilismum, sed etiam aequiprobabilismum et probabiliorismum esse illicitum, quando usum benignioris sententiae concedunt. Nam si quae est obligatio tendendi ad conformitatem cum lege Dei quae vocatur antecedens, longe maior obligatio quam tendendi ad positivam conformitatem, est negativa obligatio cavendi difformitatem actionum nostrarum a lege divina. Si igitur ante omnia cavenda est difformitas a lege Dei antecedenti, praestanda sunt omnia quae *fortasse* hac lege continentur, vitanda omnia, quae *fortasse* vetantur, i. e. ea quae aliqua etsi levi

contro il P. N., che ben può seguirsi la probabile per la libertà, quando è probabile egualmente o poco meno, in modo che sia dubbio se tale opinione sia egualmente o poco meno probabile della contraria che sta per la legge."

et tenui probabilitate sunt contra legem Dei antecedentem — id quod absoluti tutiorismi est.

Neque valet quidquam, quod obicit adversarius (v. *Wouters* 63) adesse etiam legem Dei *permittentem,* cui nos, quantum fieri possit, debeamus conformari: huic autem eum non conformari, qui quod aeque probabiliter non sit prohibitum, consideret pro prohibito. Nam si quaeritur de conformitate et difformitate *intellectus* cum divino intellectu, ne in minore quidem probabilitate liceitatis alicuius actionis debeo eam *simpliciter pro illicita* declarare, sed prò *dubie illicita* et *dubie permissa* secundum legem Dei antecedentem. Quodsi ita iudico, non plenam quidem habeo conformitatem cum intellectu divino, quippe in quem dubium cadere non possit, sed eam conformitatem quae mihi est possibilis; verum si simpliciter actionem istam iudico vel illicitam vel permissam, fortasse turpiter erro *plane difformis* a divino intellectu. — At si agitur de conformitate vel difformitate *voluntatis* vel *actionis* meae relate ad legem Dei antecedentem, sane non sum actione mea ab illa difformis, si omitto quod permissum est vel si facio quod omittere licet. Nemo enim dixerit, me *debere* agere secundum legem permittentem; difformis autem omnino sum, si facio quod non est permissum, vel omitto quod ut omittam non est permissum. Ergo si ante omnia, quantum possim, difformitatem a lege divina antecedenti cavere debeam, debeo omnia omittere, quae *fortasse* non sunt permissa, omnia agere quae ut omittantur fortasse non est permissum, i. e. debeo absolutum tutiorismum sequi.

Resp. IV cum S. Alphonso. *Nego Maiorem,* quasi tendere deberem ad conformitatem cum lege Dei *antecedenti* quando de ea certus fieri non possim; sed suf-

ficit, ut tendam ad conformitatem et re ipsa me conformem cum lege Dei *subsequenti.* Praestat ipsa verba S. Doctoris ex dissert. de usu opinionis minus probabilis anni 1755 afferre. Nam l. c. n. 23 et 24 ita loquitur:

„Duas in Deo oportet leges aeternas distinguere, unam *absolutam per se,* alteram *per accidens,* ut distinguit doctissimus Terillus *de Probab.* q. 28, n. 18, sive unam *antecedentem,* alteram *subsequentem,* ut alii distinguunt. Lex *antecedens* sive *per se* disponit circa res independenter ab errore mentis humanae. Lex vero *subsequens* sive *per accidens* ordinat circa res dependenter ab errore. Unde dicendum, quod Deus per legem antecedentem praecipit talia observare, per subsequentem vero *non vult* eos adstringi nec comprehendi, qui in invincibili ignorantia legis versantur. In summa, vult Deus homines teneri ad suas leges secundum quod sunt in eorum conscientia. . . Ubi ergo non est *voluntas* divina prohibens, neque est lex; cum impossibile sit, aliquem posse operari conformiter et difformiter ad eandem Dei legem, vel conformiter ad unam et difformiter ad aliam. . . Et sic pariter qui ex opinione probabili prudens dictamen sibi format, quod licite operetur, ne materialiter quidem agit contra legem aeternam. . .

„Sed instant: Si lex aeterna est prima regula operandi, quomodo umquam dici potest agere prudenter, qui utitur opinione minus probabiliter conformi aeternae legi? — Adversarii duo hic confundunt, primo *veritatem rei* (v. g. quod contractus aliquis sit vel non sit usurarius) *cum veritate honestatis actionis* (nempe quod liceat, vel non, contractum

illum inire); confundunt secundo remotam honestatis regulam, quae est lex divina, cum regula proxima, quae est conscientiae dictamen. . .

n. 26. „Hinc concluditur, quod ille qui sequitur opinionem probabilem in concursu probabilioris, efformato sibi iudicio practico iuxta praedicta de honestate suae actionis, ne materialiter quidem peccat (etsi forte opinio illa sit falsa); quia scilicet eius actio nullo modo Dei voluntati repugnat, cum eius conscientia, unde desumitur morum honestas, *iam rite conformetur legi aeternae subsequenti,* qua vult Deus, tali modo operantes in lege quam invincibiliter ignorant non comprehendi."

Resp. V aliter explicando ea quae ex S. Alphonso allata sunt. Pauca igitur antea dicam de illa *tendentia,* de qua adversarius loquitur; dein respondebo breviter in formâ scholastica.

§ 5. Quaenam sit necessaria tendentia ad conformitatem cum lege aeterna.

Porro quid sibi velit illud „*tendere* ad convenientiam cum lege Dei antecedenti", quid sit illius tendentiae officium, clarius definiri debet, cum adversarius de eo siluerit. — *Tendentia* videlicet non propter se praescribitur, sed si quae praescribitur, praescribitur propter finem et scopum qui attingendus est, ergo etiam desinit tendentia eiusque obligatio, quando aut finem assecutus sum, aut finem me assequi non posse viderim. In posteriore casu non manet tendentia proprie dicta et efficax, sed sola manere potest inefficax velleitas.

Tendentia vero dicitur tum de intellectu, tum de voluntate; utraque facultas tendit suo modo in convenientiam actionum cum lege aeterna: intellectus, ut

hanc convenientiam, quandonam re ipsa adsit, cognoscat, voluntas, ut cognitam convenientiam in ipsis actionibus exprimat.

Quaeri iam debet, quamnam tendentiam adversarius meus in argumento suo intelligat. Si loquitur de tendentia intellectus, sane officium nostrum est, tendere in cognitionem legis aeternae, sicuti ea per se exsistit, quo actus nostros cum ea conformare possimus. Sed haec tendentia ad probabilismum non pertinet neque ad antiprobabilismum quempiam: nam omnia moralia systemata diversa diverso modo officio suo funguntur pro iis casibus tantum, in quibus *cognitio legis aeternae per se seu antecedenter* exsistentis *evasit impossibilis.* Pro solis enim casibus dubiis, quando insolubiliter nescitur, quid lex aeterna antecedens decernat, systemata moralia statuuntur. Ergo huius tendentiae obligatio eliminata est.

Restat igitur, ut videamus, quid sit de tendentia voluntatis. Haec tendere debet et conformari *ad suam normam.* Norma autem recte volendi et agendi non est lex aeterna quatenus est in se et antecedenter exsistit, sed quatenus in natura rationali hominis sese manifestat et in mente nostra elucet; aliis verbis: haec norma non est lex antecedens, sed lex naturalis et consequens. Huic normae hominis voluntas omnisque actio humana conformari debet, atque in accuratam cum ea conformitatem tendere debet homo in omnibus, ubi lex naturalis cognoscitur vel in quibus inquisitione facta cognosci potest. Ubi vero lex aeterna, ut in se est, non potest cognosci, sufficit ea ad conformitatem cum obiectiva lege (antecedenti) tendentia, quae consistit in animo parato se subicere, cum primum nova lux cognitionis affulserit; at ulterioris tendentiae, scil.

sese conformandi probabilioribus, obligationem exsistere, gratis asseritur.

Respondeo nunc breviter in forma scholastica ad argumentum: *Disting. Mai.:* Debeo sincere tendere ad convenientiam actionis meae cum lege aeterna *cognita* seu cum lege consequenti, *conc. Maiorem,* immo ad eam non solum debeo tendere, sed eam attingere debeo et in actione mea exprimere —; debeo id facere quoad legem aeternam non cognitam et cognitu impossibilem, *subdist.* hanc partem *Maioris:* eo sensu, ut paratum geram animum me ei conformandi, cum primum praeter exspectationem legem cognoverim, *concedo* hanc partem *Mai.;* eo sensu, ut, neglectis opinionibus solide probabilibus circa legem non exsistentem, pro norma agendi sumam probabiliores contrarias, *nego* hanc partem *Minoris. Contradistincta minore, neg. consequens.* Nam probabilista sequitur legem cognitam seu ei se conformat, atque simul animo paratus est ad sequendam eam partem, si quae fortasse postea ut lex cognita evaserit. Interea sibi servat libertatem in dubiis insolubilibus ea amplectendi quae sunt solide probabilia.

§ 6. De lege cognita, quae necessaria sit ad obligandum et de cognitione opinativa secundum doctrinam S. Thomae Aquinatis et S. Alphonsi.

Adversario iam alias ad similem difficultatem a se contra probabilismum motam, similia responderam quare ipsam hanc distinctionem inter legem cognitam et non cognitam conatur impugnare eamque sibi videtur enervare posse.

Dicit enim I. distinctione illa inter ordinationem legis divinae cognitam et non cognitam non peti principium in sua Maiore enuntiatum; II. negat, ordinationem legis

divinae esse ignotam, cum in casu opinionis probabilioris habeatur cognitio opinativa.

Quid ad ea effugia respondendum?

Ad I^m^ dico: Valde mirum est, illa distinctione non peti principium enuntiatum, cum sententia, quam distinxi, sit verbotenus principium enuntiatum! At, reponit adversarius, „non edicit principium, tendendum esse ad convenientiam cum ordinatione divina *certo* aut *probabilius cognita,* at . . . in convenientiam cum *ipsissima* ordinatione divina". Respondeo, verissimum esse, principium, sicut ab ipso adversario enuntiatur, non continere in se ipsam illam distinctionem; sed eam fieri a me oppugnando illud principium — in hoc enim sita est oppugnatio per distinctionem, ut qui oppugnet id distinguat, quod alter non distinxerat. Sumo sane *ipsissimam* ordinationem divinam, seu *ipsissimam legem divinam,* atque eam distinguo in legem homini cognitam vel cognoscibilem, et in legem non cognitam neque cognoscibilem; hanc nego esse normam, cui me conformare debeam, illam normam esse fateor.

Verum praesto est adversario alterum effugium. Dicit enim II., in casu quo opinio pro lege exsistente cognoscatur ut probabilior, adesse *cognitionem legis opinativam* (ita nunc in opusculo suo p. 62), eamque sufficere ut inducatur obligatio sese conformandi isti legi opinative cognitae, atque ad confirmandam hanc suam doctrinam provocat ad *S. Thomam Aquinatem,* De veritate q. 17, a. 2 ad 2 (idem fere dicit *Ter Haar* l. c. 11 cum nota 2).

Ad quae respondeo 1°: Nemo dixerit, se rem *cognovisse* vel *scire,* de qua, num vere sit, gravis est ratio dubitandi. At quando opinio vere et solide probabilis contra aliam opinionem probabilem, etsi probabiliorem, exsistit, gravis habetur ratio dubitandi de alius istius

opinionis veritate. Ergo dici nequit eius veritatem, seu exsistentiam eius quod enuntiat, esse *cognitam* vel *scitam.*

2° Ad ipsam hanc difficultatem apposite respondit *S. Alphonsus:*

„Nec valet dicere, quod, cum apparet probabilior aliqua opinio pro lege, tum illa maior probabilitas legem declarat scientiamque legis iam exhibet. Nam scientia, ut cuique patet, importat certam notitiam de exsistentia legis; *opinio autem etiam probabilior, cum non removeat prudentem formidinem oppositam, est toto coelo diversa a scientia,* quae omni prudenti formidine exclusa prae se fert certitudinem. Quando igitur in aliqua quaestione non adest scientia legis, tum lex vel non adest, vel saltem non obligat. Dices, tunc adesse aliam legem generalem, quae iuxta lumen naturae obstringit ad probabiliora sequenda. Sed iterum rogo de hac alia universali lege, quae gratis supponitur, ubi scriptum est? undenam scientiam eius habemus? cum rationes (ut diximus) potius suadeant, hanc legem non exstare, praesertim quia non praesumitur Deus voluisse hominibus imponere hanc durissimam obligationem sequendi semper opiniones probabiliores tanto cum onere ac periculo errandi formaliter, vel ob omissionem debitae diligentiae vel ob hallucinationem passionis." Ita in *Dissertat. de opin. minus prob.* n. 33.

Verum ne in solo hoc testimonio, quod *S. Alphonsus* tulit in priore vitae suae epocha, sistam, eodem fere modo in ultimis etiam editionibus Theologiae mor. l. 1 n. 59[1]

[1] Indico numeros secundum recentissimam editionem classicam P. L. Gaudé, cuius volumen I modo in lucem prodiit Romae 1906. Editiones aliae aliter in ea parte operis S. Alphonsi, quae inscripta est „Morale systema", numeros distinguunt.

opinionem a scientia, quae ad legem constituendam requiratur, omnino distinguit:

(S. Thomas) „signanter in Opusc. *de veritate* q. 17 a. 3 hoc morale principium absolute profert: *Nullus ligatur per praeceptum aliquod nisi mediante scientia illius praecepti.* Ab omnibus philosophis cum D. Thoma docetur distinctio inter opinionem et scientiam. Opinio denotat cognitionem dubiam aut probabilem alicuius veritatis, scientia vero cognitionem certam ac patentem significat. Sed audiamus ipsum S. Doctorem; et quod S. Thomas nomine *scientiae* intelligat praecise cognitionem certam, patet, quia proponit l. c. hoc quaesitum: *Utrum conscientia liget?* ac deinde ait: *Ita ... se habet imperium alicuius gubernantis ad ligandum in rebus voluntariis illo modo ligationis, qui voluntati accidere potest, sicut se habet actio corporis ad ligandum res corporales necessitate coactionis. Actio autem corporalis agentis numquam inducit necessitatem in rem aliam, nisi per contactum coactionis ipsius ad rem, in quam agit. Unde nec ex imperio alicuius ... domini ligatur aliquis, nisi imperium attingat ipsum, cui imperatur. Attingit autem ipsum per scientiam: unde nullus ligatur per praeceptum aliquod nisi mediante scientia illius praecepti. ... Sicut in corporalibus agens corporale non agit nisi per contactum, ita in spiritualibus non ligat nisi per scientiam.* Similitudo a D. Thoma hic allata nequit esse magis lucida ac convincens ad probandam nostram sententiam sive principium, namque quod lex incerta non potest certam obligationem inducere. Dicit S. Doctor, quod scientia praecepti est instar vinculi quod voluntatem ligat. Unde sicut ad rem aliquam ligandam opus est, ut actualiter funis ap-

plicetur, ita ad ligandam hominis voluntatem, ut actionem aliquam exerceat vel omittere teneatur, necesse est, ut ipse praecepti scientiam habeat, alioquin homo ille in sua libertate remanet."

Affert *S. Alphonsus* dein dicta complura veterum scriptorum, qui idem enuntiant atque confirmant. Et quamquam ipse S. Doctor postea sub finem n. 62 declinet in reiciendam eam opinionem quae *certe probabiliori* opponatur, id sumi omnino debet de iis casibus, in quibus illa opinio probabiliori opposita non amplius maneat vere et solide probabilis: alioquin S. Alphonsus in eodem loco sibi ipse plane contradiceret et aperte repugnaret S. Thomae eiusque principiis antea fuse evolutis.

Similiter *S. Alphonsus* l. c. n. 74 contra *Patuzzi,* qui etiam nomine *scientiae* intelligi posse dixerat opinativam notitiam, haec habet:

„Quod sub nomine *scientiae* intelligatur probabilis notitia, haec est novi vocabularii nova significatio; dum philosophi omnes cum eodem S. Thoma distinguunt *opinionem* a *scientia,* quae accipitur ut cognitio certa alicuius veritatis."

Ex dictis iam satis patet, sine fundamento S. Thomam in auxilium vocari ab adversariis, qui contendunt, Aquinatem opinativum assensum dicere scientiam latiore sensu sumptam; nam eius verba supra allata opinionem plane distinguunt a scientia. Sed ut res etiam magis pateat, examinabo dictum angelici Doctoris ab adversario laudatum, num illum sensum postulent.

L. Wouters 88 ut vim verborum S. Thomae modo laudatorum effugiat, dicit:

„S. Thomas faveret probabilismo, si *scientiam* praecepti (quam requirit, ut homo praecepto ligetur) intelligeret *certam* aut *quasi certam* praecepti cogni-

tionem. Verum id iure et merito in dubium vocatur. Cum dico conscientiam — ita S. Doctor in eadem quaest., ex qua supradicta verba desumpta sunt (a. 2 ad 2) —, non dico vel implico scientiam solummodo *stricte* dictam, prout est tantum verorum, sed scientiam *largo modo* acceptam pro *quacumque notitia*, secundum quod *omne, quod novimus,* communi usu loquendi scire dicimur."

Ergo L. Wouters vult cum Patuzzi contra S. Alphonsum, S. Thomam nomine *scientiae* comprehendere etiam *cognitionem opinativam.*

Verene igitur S. Thomas ita sensit? Quod si affirmandum est, Doctor angelicus vix non in uno eodemque loco aperte sibi contradicit, recedens ab illo scientiae conceptu, quem modo ex S. Alphonso et secundum eius interpretationem laudavi. Quam contradictionem admittere plane vetamur, nisi vis verborum cogat, ut debeamus ita intelligere, aliter intelligere non possimus. At qui articulum laudatum, videlicet *responsum cum obiectione ad quam respondetur,* attente legerit, id infitias ibit, S. Doctoris verba illo sensu *debere* sumi. Articulus 2^dus^ tractat quaestionem: „Utrum conscientia possit errare?" More suo S. Thomas primo difficultates movet quae suadeant, conscientiam errare non posse: „Praeterea, ait, conscientia addit aliquid supra scientiam; id autem quod addit, nihil diminuit de ratione scientiae. Sed scientia numquam errat, quia est habitus, quo semper verum dicitur, ut patet in 6 Ethic. Ergo nec conscientia errare potest." Postquam autem in corpore articuli contrarium demonstravit, videlicet, conscientiam ex pluribus causis posse errare, respondit ad difficultates antea congestas: „Ad 2^dum^ dicendum, quod conscientia addit supra scientiam applicationem scientiae ad actum par-

ticularem: et in ipsa applicatione potest esse error, quamvis in scientia error non sit. Vel dicendum, quod cum dico conscientiam, non dico vel implico scientiam solummodo stricte acceptam, prout est tantum verorum, sed scientiam largo modo acceptam pro quacumque notitia, secundum quod omne quod novimus, communi usu loquendi scire dicimur."

Quae igitur est illa scientia lato sensu accepta, quae distinguatur a scientia „tantum verorum", quam S. Thomas dicit scientiam stricte acceptam? Debet sane esse illa, quae dicat assensum non solum ad vera, sed etiam ad falsa seu erronea: nam *erroneam* conscientiam atque scientiam in *ea* comprehensam S. Doctor vult explicare. Illa autem evidenter est *persuasio subiectiva de re,* sive res sit vera sive falsa. Si ita sumis, omnia clara sunt. Scientia, quae dicitur esse in omni dictamine conscientiae, est scientia late accepta seu persuasio subiectiva, haec potest versari circa vera et circa falsa, cum scientia stricte dicta sit solummodo circa vera; propterea conscientiae non repugnat quominus sit erronea.

Ergo demonstrari nequit, S. Thomae scientiam late sumptam esse assensum *opinativum;* proin, ne dicamus et S. Doctorem parum cohaerenter locutum esse et S. Alphonsum in intelligendo S. Thoma (p. 27 sq) palam errasse, fateamur, S. Thomae scientiam late sumptam esse assensum certum quidem subiective, at non necessario certum obiective seu verum. Hinc tota Aquinatis auctoritas premit adversarium eiusque doctrinam, quasi obligatio exsistat cum sola opinativa notitia legis, si non-exsistentiam legis ratio solide probabilis suadet.

Atque hoc ipso exclusum est effugium, quod adversarius p. 62 „*Obicitur 3°*" tentat. Inducit enim probabilistam dicentem: „Nequit mihi incumbere obligatio

tendendi ad rem, quam attingere nequeo. Atqui, ubi ordinatio divina non est cognita nisi *ut probabilior*, convenientiam cum ea attingere nequeo." Ad quod respondit *Wouters*: „Transmitto maiorem; nego minorem", scil. in eo casu convenientiam cum lege divina probabilius attingi posse et debere. — At, pace clarissimi viri, eo ipso quod probabilius tantum attingo conformitatem cum lege divina eaque antecedenti, probabiliter ab ea discrepo; atque in tali conditione qua non possim *nisi cum tanta incertitudine* legis antecedentis conformitatem attingere, hanc incertam legem antecedentem esse normam agendi obligatoriam *aliunde* debet probari.

Ut testimonia illa ex S. Alphonso desumpta eludantur, *Ter Haar* p. 12 not. dicit, S. Doctorem, si secundum S. Thomam Aquinatem postulet *scientiam* legis, non opinionem tantum, ut obligatio exsistat, eum „etiam cognitionem certe probabiliorem" intelligere „quae dicitur *scientia lato sensu* seu *cognitio imperfecta*". — Sed si *S. Alphonsus* in Theol. mor. I n. 62 in fine ita loqui videtur, *debet* plane intelligi de *ea* maiore probabilitate, quae omnem prudentem formidinem oppositi excludat seu cui non amplius opposita sit sententia vere et solide probabilis. Alioquin S. Doctor apertissimis verbis sibi contradiceret. Attende enim verba S. Doctoris supra laudata: „Scientia importat certam notitiam de exsistentia legis; opinio autem etiam probabilior, *cum non removeat prudentem formidinem oppositam*, est *toto coelo* diversa a scientia." Num S. Alphonsus id, quod dixit toto coelo a scientia distare, dicit postea esse sufficientem scientiam? Attende ex ipso eodem contextu lib. 1 Theologiae mor. n. 59 verba supra laudata: „Ab omnibus philosophis cum D. Thoma docetur distinctio inter opinionem et scientiam. Opinio denotat cognitio-

nem dubiam aut probabilem alicuius veritatis, scientia vero cognitionem certam ac patentem significat.“ Num S. Doctor id quod ita clare distinxit, paucis lineis postea adeo confundat? Restat igitur, ut dixi, haec sola ratio, qua a S. Doctore apertam contradictionem removeamus, ut dicamus opinionem certe probabiliorem, ob quam legem dicat sufficienter promulgatam seu certam, esse *eam*, quae sit *tantae* praeponderantiae, ut prudentem formidinem excludat, seu cuius oppositum non sit amplius solide probabile. In hoc solo casu dici potest et debet adesse legis scientiam lato illo sensu intellectam quae in rebus moralibus et practicis sufficere debet. Sed de hoc postea plura.

§ 7. Expenduntur ulteriora, quae ad stabiliendum argumentum contra probabilismum ex ratione petuntur.

Restat, ut pauca dicam ad ea, quibus adversarius unicum suum argumentum quod dissolvere conatus sum, putat posse stabilire.

Propositio *maior* ipsius argumenti erat: „*Debeo sincere tendere ad convenientiam actionis seu electionis meae cum*[1] *legis aeternae ordinatione antecedenti.*“ „Quamquam“, inquit, „ea probatione non indiget, duplici argumento comprobo.“

Cum equidem putem, eam probatione plane indigere, examinaturus sum duplex argumentum.

1. „Deest neque excogitari posse videtur principium moralitatis, quod honestatem tribuat electioni,

[1] Auctor addit „cum ipsius actionis moralitate obiectiva“: quod brevitatis et claritatis causa omisi et hic et alias, cum ipsum punctum saliens sit in eo, num *lex Dei antecedens* mihi norma esse debeat.

qua, cum tendere possim, non tendam ad convenientiam cum moralitate obiectiva seu cum legis aeternae ordinatione obiectiva *(antecedenti)*. Atqui, electio huiusmodi principio non innixa inhonesta dicenda est."

Resp. Salva reverentia, *Neg. Mai.* huius argumenti. Cum *antecedens* lex divina non sit norma moralitatis nostrarum actionum, sed lex naturalis seu lex divina consequens, sufficit ratio quod velim libertatem mihi servare, ut non agam inhoneste, atque eo ipso fieri potest, ut nova honestas positiva actioni meae aliunde accedere possit. Hinc *negata Minore, negatur Consequens et consequentia.*

2. „Nisi sincere tenderem, cum tendere possem, ad convenientiam cum legis aeternae ordinatione antecedenti, actio seu electio mea ordinationis divinae antecedentis vilipendium involveret. Atqui eiusmodi actio seu electio honesta dici nequit."

Resp. Similiter *Neg. Mai.* hanc regulam non vilipendo quando me ei non conformem, nisi agatur de regula quam sequi *debeam*. Regula autem quam sequi debeam, non est lex Dei antecedens, sed lex Dei consequens seu naturalis.

Ergo utrumque argumentum, quo adversarius suam impugnationem contra probabilismum stabilire conatur, nullius roboris esse apparet.

Quare illius impugnationis propositio *minor* plane transmitti potest, cum ne *maior* quidem consistat. Idque eo magis, quod huius *Minoris* defensio, ut firma sit, niti debeat, confitente adversario, in veritate *Maioris* demonstrata: „Diximus enim in *maiore propositione* illudque probavimus, quemvis hominem eo eniti debere, ut convenientiam cum ordinatione legis aeternae antece-

denti assequatur.“ Adversarium *id probasse,* negare et pernegare ex supra dictis debeo.

Quibus contra argumenta clarissimi *L. Wouters* dictis praeiudicata sunt ea, quae a *Fr. Ter Haar* circa eandem rem proferuntur. Sunt enim eadem atque iisdem fere verbis prolata. Novum quod ingerat, est conceptus de *veritate* in ordine morali, ad quam tendere debeamus.

Attamen adeo invictam habet suam argumentationem, ut pro conclusione addat p. 10: „Adversus hanc quam modo exposuimus ratiocinationem, subtilitates tantum sophisticae obici possunt. Omnes quidem, quae a tribus saeculis, magis tribus postremis decenniis, pro simplici Probabilismo vel Minusprobabilismo, i. e. pro licito usu opinionis minus probabilis cognitae, allegatae sunt rationes, principali illo et communi aequiprobabilistarum et probabilioristarum argumento praeoccupantur atque enervantur.“

Haec valde confidenter quidem et asservanter dicuntur. Superest, ut clarissimus vir *ostendat* in singulis propositionibus meis *sophismata;* quod si nequeat, se inconsiderate scripsisse agnoscat.

Ne vero opponere possit me quidquam ex iis quae protulerit, neglexisse, totam eius argumentationem fideliter transcribam atque responsa in notulis ad ipsum argumentationis textum adiciam.

Syllogistica forma hoc argumentum hunc in modum exstruitur:

„Ut honeste agat homo, non tantum intellectu sed praecipue etiam voluntatis suae actibus, ad *veritatem*[1]

[1] Voluntas ad obiectum suum tendit non sub ratione veri, sed sub ratione *boni.* Si autem quaeritur, ad quod voluntas in morali ordine tendere *debeat*, dicendum est eam *debere* tendere ad bonum

in morali ordine tendere debet: id est sincere niti debet, ut voluntatem suam cum Lege aeterna obiectiva, primaria et antecedenti[1] congruentem reddat, seu ut eam ad obiectivam ordinationem Intellectus Voluntatisque Dei, sive officia imponat sive iura tribuat, conformet. Ad hanc enim sinceram veritatis consectationem homo per naturae legem obligatur[2].

„Atqui, si quis in praxi sequitur sententiam pro iure libertatis, quam certo *agnoscit* esse *minus probabilem,* a. v. opinionem *minus probabilem cognitam,* negligit autem oppositam pro legis officio sententiam, quam *probabiliorem* seu *veri similiorem* esse *iudicat:* in voluntatis suae actione, seu electione sua, et actione quae ex ea fluit, ad *veritatem* in ordine morali, seu ad congruentiam actionis suae cum obiectiva aeternae Legis ordinatione, non sincere tendit et nititur[3].

---

honestum necessarium et *praeceptum,* ut tendere *possit*, sufficere ut sint bona honesta etiam non praecepta.

[1] Cum homo hominisque voluntas tendere non debeat nisi ad bona *praecepta,* ad procurandam conformitatem non cum lege Dei antecedenti, sive uti est in se, sed cum lege Dei consequenti seu manifestata in natura rationali tenetur, idque in tantum, in quantum eam cognoverit. Nam voluntas in se est facultas caeca, quae luce rationis indiget. *Ratio* igitur, non voluntas, debet tendere in id, ut legem Dei cognoscat.

[2] Haec est igitur tendentia *rationis,* ad quam homo obligatur. Verum quae hic de consectatione veritatis, de quaerenda conformitate cum lege Dei dicuntur, sunt plane extra rem de qua tractandum est. Agitur de probabilismo et antiprobabilismo. Sed de his systematibus sermo non est, nisi in iis quaestionibus, in quibus rei veritatem attingere impossibile est. Ergo extra rem est urgere consectationem veritatis, conformitatem cum obiectiva lege aeterna.

[3] Certissime etiam probabilista tetendit et nisus est attingere veritatem: alioquin ex numero moralistarum qui serio agunt ex-

„Ergo qui *minus probabilem cognitam* opinionem pro libertate sequitur, relicta *certe probabiliore* pro lege, is adversus naturae legem agit, inhoneste agit.

„*Maior* huius demonstrationis propositio extra dubium est, neque ab ullo Theologo aut Philosopho catholico negatur[1]. Non est nisi conclusio doctrinae de Lege aeterna, quae omnium nostrarum actionum est unica supremaque norma agendi obiectiva[2]. *Veritas* enim, quae in ordine morali nihil aliud est quam actionis cum hac aeterna Lege congruentia, est sanctum atque divinum quid, adeo ut homo, non solum in ordine theoretico, sed praecipue etiam in ordine ethico et practico, primarium habeat officium sincere et quantum valet ad ipsam enitendi[3]. Sola veritas ipsum velut regula ducat necesse est, non tantum ut intellectum suum cognitione exornet, sed magis etiam ut voluntatem suam dirigat

---

pungendus est; sed tendentia illa non obstante, veritatem non est certo assecutus neque assequi potest. Assequi potest tantum probabilia: quae sane confundi nequeunt cum veris, neque magis vel minus probabilia licet cum magis vel minus veris confundere; nam verum non potest magis aut minus verum esse; magis autem probabilia plane esse possunt falsa, minus probabilia possunt esse vera. Magis autem vel minus probabilia sequendi *obligationem* esse, unde habetur?

[1] Quid hac de re sentiendum sit, ex notis anterioribus patet.

[2] Hoc plane negandum est. Conclusio ex doctrina de lege aeterna et antecedenti longe alia est.

[3] Sed hac de re nulla est quaestio. Quaestio est, quid sit faciendum et quae sit obligatio, quando ille nisus attingendi congruentiam cum lege aeterna et antecedenti frustaneus sit. In rebus insolubiliter dubiis enim nescimus, quid legi aeternae congruat. Dicere, nos in eo casu sequi debere, quae sint *probabilius* congruentia cum lege aeterna, est *petitio principii*. Nam id est illud ipsum quod hac sua argumentatione adversarius probare vult et probare omnino debet.

perficiatque in omni vitae operatione, in ponendis omittendisve actibus. Brevi, si quis iura sua statuere et exercere vult, officia sua agnoscere atque implere, sola veritate se duci sinat oportet[1]. Tota igitur subiectiva hominis bonitas seu honestas posita est in hac voluntatis suae ordinatione et tendentia, ut ita dicam, ad veritatem seu honestatem obiectivam, ad conformandam suam voluntatem omnesque suos actus cum hac primaria, independenti, omnemque humanam cognitionem antecedenti Dei Ordinatione. Ipsi etiam acatholici agnoscent, inditam esse naturae humanae hanc inclinationem seu tendentiam ad veritatem in ordine morali, ad id capessendum quod obiective honestum est, sive officium illud est sive ius; agnoscent propterea legis moralis esse violationem, si quis actionibus suis[2] hanc obiectivam veritatem non sincere et quantum valet assequi studeat.

„Etiam propositio *minor* claret. Et sane; qui enim sincera voluntate ad aliquem finem tendit — dicamus exempli causa: qui Romam pervenire vult —, ipsique praesto sunt duae viae *oppositae,* quarum alteram, peracta investigatione, iudicat *probabilius* ad Urbem ducere,

---

[1] Multoties repeti debet, haec omnia vagari extra rem. Ut veritate duci possimus, debemus prius veritatem cognoscere. Sed tota quaestio de probabilismo et antiprobabilismo de iis casibus versatur, ubi veritas obiectiva non cognoscitur neque cognosci hucusque potuit.

[2] Semper eaedem vagationes extra rem. Verissimum est hominem debere eniti, *quantum valet,* ut assequatur obiectivam veritatem, idque maxime in re morali. Sed quid demum, quando sincerum illud studium eum non perduxit ad hanc veritatem assequendam, si *insolubiliter dubium* manet, quae in re proposita sit obiectiva veritas? Ad hoc responderi amplius nequit: „enitendum est ad obiectivam veritatem"!

alteram vero *probabilius* ab ea abducere[1]: tunc ratio practica et prudentia naturalis omnino illi imperat, ut priorem viam sequatur, relinquat alteram, quae, utut *probabiliter* recta, certo tamen *probabilius* fallit. Ut priorem illam viam eligat, postulat sincera finis sui consectatio, postulat prudentia, quae media tantum eligit ex intentione finis. Si oppositam priori eligat viam, id sincerae huius finis consectationi et primariis prudentiae rectaeque rationis regulis adversatur.

„Similiter qui ad *veritatem* in ordine morali sincere tendit, ad congruentiam, inquam, voluntatis atque actionis suae cum independenti circa illam ordinatione Intellectus et Voluntatis Dei, atque post sufficientem

---

[1] Comparatio haec ad rem de qua agitur illustrandam plane inutilis est. In itinere Romano agitur de fine attingendo, sicut v. g. in arte medica exercenda agitur de restituenda sanitate: in eiusmodi casibus, si media certa desint, adhibenda esse probabiliora patet, neque id a probabilistis negatur. Verum longe alia res est, quando agitur de solis licitis vel illicitis, nisi adversarius vitio logico iam supponat, in eis causis obligationem esse attingendi, quo securius et certius possit, normam legis Dei antecedentis. Alias ut comparatio apta sit, sumi debet viatorem Romam *attingere non posse*, vel *dignoscere numquam posse* se revera Romam attigisse, sive hunc sive illum locum attigerit, atque ad finem ultimatim attingendum perinde esse, utrum Romam re ipsa attingat necne. Ille certe non agit insipide, si negligat inquirere, quaenam ex duabus viis *probabilius* ipsum ducat, vel si, cum sistere iter non possit, *pro libitu* alterutram eligat. Talis enim conditio est hominis, qui in re morali versatur inter opiniones minus vel magis probabiles, solide probabiles utrasque. Ille ad obiectivam veritatem pervenire non potest vel saltem nequit dignoscere, utrum actio proposita obiectivae veritati legis aeternae conformis sit necne; nihil tamen quoad finem ultimum interest, fueritne actio ita conformis an difformis, siquidem *obligatio* sequendi probabiliora non demonstratur, ac proin a legis obligantis violatione seu subiectivo peccato agens certo immunis est.

rei investigationem *scit* atque *iudicat,* ex duabus *oppositis* opinionibus alteram *probabilius* ad illam veritatem perducere[1] seu *probabilius* divinae officiorum iuriumque ordinationi congruere[2], oppositam vero opinionem *probabilius* a veritate abducere et ad falsitatem moralem obiectivam ducere: is, si ex rationis et prudentiae regulis agere vult, priorem practice sequatur opinionem necesse est, non vero alteram. Quodsi nihilominus hanc alteram eligat, quam subiectivo iudicio *minus probabiliter* veram et honestam, *probabilius* autem falsam reputet atque inhonestam[3], tunc nequaquam solam veritatem pro obiectiva agendi norma habet, suaque electio sincerae finis sui consectationi adversatur et prima offendit prudentiae rationisque practicae principia; peccat proinde in primariam legem moralem.

„Itaque[4] opinionem probabiliorem pro particulari lege

[1] Negari omnino debet opiniones probabiles *ad veritatem perducere.* Sunt aut re ipsa verae aut falsae; quid sint, insolubiliter *nescitur:* ad ulteriorem *veritatem* non perducent, etiamsi eas operando sequor, sed relinquunt plane hominem in statu insolubilis dubii circa obiectivam rei veritatem. Quare falsum est dicere opinionem probabiliorem me probabilius *ad veritatem perducere.*

[2] Hoc utique verum est, opinionem probabiliorem *probabilius* congruere cum divina ordinatione antecedenti, sed neutiquam certum est, eam *re ipsa* seu *in ordine obiectivo* congruere; neque ordinatio divina antecedens insolubiliter dubia norma est actionum humanarum, ut saepius dixi, sed ordinatio Dei consequens seu lex naturalis.

[3] Haec omnia ambigua sunt et erronea: nam eo ipso quod perspicimus certam aliquam rem probabiliter non contradicere legi Dei antecedenti, concludere licet eam certo non esse contra legem Dei consequentem, atque esse plane honestam.

[4] Conclusio, cuius fundamentum continet sententias tot labiles non veras, pro legitima non est agnoscenda. Atque frustra adversarius eam habet pro adeo certa, ut adversus eam „subtilitate tantum sophisticas obici posse“ affirmet.

sequi *certa* subiectiva obligatio est; quae quidem non *directe* imponitur — est enim lex illa particularis in se *certo probabilior* tantum, non *certa* —, at *indirecte,* generali naturae legis principio. Practice igitur libertatis ius iuri legis, quae *certo probabilior* habetur, cedere debet: neque enim utrumque ius effectum simul habere potest; cedere, inquam, debet, vi *certi* huius et *universalis* Legis aeternae praescripti: Homo in omnibus actionibus, quantum subiective cognoscit et valet, ad obiectivam *veritatem* circa officia iurave sua, ut ad finem sibi propositum, tendere debet; ac proinde ex duabus oppositis opinionibus de aliqua lege aut de aliquo iure illam eligat oportet, quae certo suo iudicio *probabilius* ad finem illum ducit. Quod principium generale et indirectum brevi hoc enuntiatur axiomate: *In dubio verisimilius est sequendum.*"

§ 8. Rationes seu difficultates, quibus probabilistae antiprobabilistas impugnant, defendunt probabilismum, sintne vere dilutae et confutatae?

Ostensum est, ni fallor, quam infirmum sit unicum illud argumentum ex ratione petitum, quo demonstrare conantur antiprobabilismi veritatem, falsitatem probabilismi.

At cl. *Wouters* post argumentum contra probabilismum late evolutum etiam solvere tentat rationes probabilistarum, quas sibi ut *difficultates* obicit (a p. 66 ad 103). Num eas re vera solverit atque difficultatibus, quas probabilistae contra severiora systemata movent, ita satisfecerit, ut probabilismus iaceat, iam paululum examinemus.

Cum „difficultates I—V" incl. tangant argumenta ex auctoritate petita, eas earumque ab adversario factas

solutiones commodius postea ad trutinam revocabo. Incipiam igitur a *„Difficultate VI“* (p. 88).

Nimirum contra doctrinam antiprobabilistarum, „quod teneamur ad praeceptum quod dubie quidem, at probabilius exsistat, et quod in eiusmodi dubiis *debeamus* sequi ea quae videantur magis accedere ad veritatem“, a probabilistis obiecta est haec difficultas: S. Thomam Aq. docere neminem ligari per praeceptum, nisi mediante scientia. Verum *maiorem probabilitatem* non esse scientiam, neque *accessum* ad veritatem de legis exsistentia scientiam legis esse. — Ad quae *Wouters* respondit: „S. Thomas faveret probabilismo, si *scientiam* praecepti intelligeret *certam* aut quasi certam praecepti cognitionem. Verum id iure et merito in dubium vocatur“, atque contendit S. Doctorem intellexisse quamcumque *etiam opinativam cognitionem*. — Quod quantopere a vero absit, ex ipsis Angelici Doctoris verbis supra p. 25 sqq monstratum est. Nihil igitur movent, quae p. 89 dicit: „Quibus obiectionibus ab adversariis ex auctoritate petitis, allegatis *et refutatis*.“ Nam minime refutatae sunt; atque adversarius gressum sistere debet meliusque probabilistarum dicta refutare, antequam gloriari possit de victoria.

„Difficultas VII“. Probabilistae insistunt in hac ratione, quod lex non satis promulgata non sit lex vere obligans; promulgatam autem non esse dicunt legem, contra quam exsistat ratio gravis et vere probabilis, quae suadeat legem in certa re de qua sit quaestio non exsistere. — Ad quae *Wouters* (p. 90) breviter respondit: *„Conc. Mai., neg. Min.* Etenim legem *probabilius* exsistentem satis promulgatam esse cap. 2 planum fecimus.“ — Contra quae oppono: Nimirum adversarius ista plana fecit iis argumentis quae labilia atque in-

firma esse ostendi, ut legenti ea quae hucusque disputata sunt apparet.

Pergit *L. Wouters*, et ut demonstret a probabilistis falso provocari ad legem *ignoratam* ac proin non obligantem, quando rationes quidem graves et probabiles suadeant legem non exsistere, probabiliores autem suadeant exsistere legem, denuo recurrit ad assertionem nullatenus probatam: cognitionem *opinativam, i. e. eam quae contra se habet gravem causam formidandi ne sit erronea,* sufficere, ut lex dici debeat *nota* et ut pariatur obligatio. Repetit quidem cl. *Wouters* saepius haec a se esse probata; sed revera nullam affert probationem nisi argumenta ipsissima, quibus conatur probabilismum refutare. Verum si ita est, non potest ad solvendas difficultates ad haec ipsa argumenta, quae num probent rem probandam, in quaestione est, recurrere, quasi ea rem evicissent. Alioquin committet petitionem principii supponens semper id probatum esse quod demum est probandum.

Difficultas VIII et IX perstringit argumenta, quibus usus est *Cathrein*, Philosophia mor., ad stabiliendum probabilismum. — Sane causa probabilismi non pendet ab eo, utrum singulae rationes quibus defenditur, consistant, an aliquae debiliores sint, sed ab eo, num uno saltem argumento invicto defendatur. Quapropter vix non omnia quae *Wouters* congessit, missa facere possumus. Verum ne videamur ad angustias redacti esse, etiam ad illa responsuri sumus.

Cathrein attulit pro probabilismo seu potius pro sententia „lex dubia non obligat“ rationes ex notione et officio legis. Videlicet lex, ait, est 1. *regula et mensura* actionum nostrarum, 2. est *ligamen* quod hominem attingere et stringere debet. Sed mensurari nequit, nisi

regula sit certa, non ambigua; *ligamen* autem voluntatem attingere et adstringere non potest nisi per scientiam, non per dubitationem. — Quibus adversarius se satisfecisse putat 1. dicendo legem esse regulam *remotam*, remotam autem regulam, etsi sit non certa sed ambigua, officio suo rite fungi posse (p. 91), 2. recurrendo ad toties repudiatam assertionem: cognitionem *opinativam* sufficere ad ligandam voluntatem (p. 92).

At in his responsis non advertit cl. vir, *Cathrein* et cum ipso quam plurimos probabilismi defensores, *Palmieri, Sabetti, Noldin* aliosque, nihil fecisse et scripsisse, nisi quod *S. Alphonsus* in sua Theologia morali ex *S. Thoma* affert ad refellendos adversarios probabilioristas. Ita enim in diss. de mor. syst. habetur etiam in ultimis S. Doctoris editionibus (ed. *Gaudé* l. 1 n. 63):

„Cum lex dubia sit, nequit ligare certam hominis libertatem, quae donec a lege sit ligata, manet soluta. Id quidem agnovit D. Thomas, cum dixit *legem esse instar ligaminis*, quod donec per contactum applicatur alicui, *hic habet potestatem divertendi quo vult* (sunt verba S. Doctoris De verit. q. 17, a. 3). Hinc protulit sententiam illam: *Nullus ligatur per praeceptum aliquod, nisi mediante scientia illius praecepti* (ibid.). — Hoc autem maxime alibi confirmatur a S. Thoma, ubi sic scripsit: *Lex quaedam regula est et mensura actuum, secundum quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur: dicitur enim lex a ligando, quia obligat ad agendum* (1, 2, q. 90, a. 1).

„*Mensura*, ait Card. Gotti, *ut actu mensuret, debet applicari mensurabili*, et ideo addit: *Lex, ut actu obliget, debet promulgatione imponi subditis.* Quomodo autem poterit quis suas actiones recte men-

surare, **nisi mensura illa sit certa et non ambigua?** Nec valet dici, ubi lex est dubia, est etiam dubia libertas hominis; quia libertas manet semper certa, usquedum a lege pariter certa et manifesta non ligatur."

Ergo quando cl. *Wouters* respondet: legem, utpote regulam remotam, *sufficere ut sit incerta et ambigua,* aperte contradicit S. Alphonso, atque conando evertere supradictas rationes probabilistarum evertere studet primarium argumentum, quo S. Alphonsus suos adversarios vincit. Neque quidquam mutatur ex eo, quod S. Alphonsus haec eadem, quae ex eius scriptis attuli, in posterioribus editionibus *applicet* ad aequiprobabilismum. Quaeritur enim nunc, utrum ea quae ita applicat sint vera, ut *Cathrein* cum aliis probabilistis defendit, an falsa, ut cl. *Wouters* 91 vult. Si vera sunt, Wouters, ut vim illorum dictorum probabilismo faventium elidat, longe aliter debebat respondere; debebat enim ostendere, in casu sententiae vere et solide probabilis contra legem, at probab*ilioris* pro lege, *legem esse non ambiguam sed certam.* Qui labor est sane arduus!

Addit autem (p. 91): „Ne probabilistae quidem exigunt, ut *regula* remota *certa* sit, sed docent sufficere, ut sit *permulto probabilior,* seu *probabilissima,* seu *fere certa.*" Quibus, ni fallor, innuere vult, si exigatur ut lex *certa* sit, deveniendum esse ad plenum laxismum, qui rationibus parum probabilibus, improbabilibus vim enervandi legem attribuat, eo quod etiam quando solae rationes leves, futiles, parum probabiles exsistant contra legem, haec non sit *certa.* Verum ad ea respondeo, quod omnes probatae doctrinae theologi cum *Suaresio* animadvertunt, in rebus practicis et moralibus agi non posse

nisi de morali quadam certitudine; hanc autem adesse, si pro altera ex duabus sententiis oppositis solae futiles, leves, improbabiles rationes afferri possint, pro altera graves etsi ex natura sua sola non convincentes seu evidentes, immo hanc moralem certitudinem adesse, quando pro una sententia nullae rationes, pro altera sola rationes graves probabiles conspiciantur adesse. Quodsi igitur in eiusmodi circumstantiis non habetur certitudo *directa,* indirecta habetur, cum certum sit hominem futilibus, levibus rationibus duci prudenter non posse. Unde fit, ut laxismus reprobari debeat, non debeat probabilismus, qui gravibus et vere probabilibus rationibus hominem regi posse et debere fatetur.

Cl° Wouters subsidium praestat *Ter Haar* 132 sui opusculi, contendens opinionem *certe probabiliorem,* etsi ei adversetur opinio seu ratio gravis solide et vere probabilis, esse moraliter *certam,* scil. ea certitudine, quae sufficiat ad legem eiusque obligationem stabiliendam. — Quod ut palam faciat, distinguit inter certitudinem *ethicam* et *logicam:* „Advertas velim in theologia morali agi de certitudine sensu *ethico*, non sensu *logico,* atque hanc institui quaestionem: quandonam opinio tutior sufficienter certa est, ut ethicam obligationem imponat?“ — At, respondeo, haec distinctio inaudita est, ut contra *logicam* ethicam possim asserere esse certitudinem. Ipsa disciplina logica distinguit quidem certitudinem metaphysicam, physicam, moralem, atque ipsam moralem distinguit strictam quae ad metaphysicam reducatur et formidinis possibilitatem seu tum prudentem tum imprudentem excludat formidinem, et certitudinem moralem latiorem, quae solam prudentem formidinem excludat. Extra logicam certitudinem aliam quandam quaerere impossibile est, neque in rebus

moralibus vel in statuendis officiis contra logicam peccare licet. Peccaretur autem contra logicam, si opinio, contra quam *gravis* ratio etsi minus gravis adest, diceretur moraliter certa, sive directe sive indirecte certa; nam illa opinio ex una parte deberet excludere omnem prudentem formidinem, ex altera parte autem deberet propter *gravem* istam rationem contrariam cum prudenti formidine esse coniuncta.

Similiter est contra omnem logicam, omnem opinionem graviter et solide probabilem, ex eo quod ei obstet opinio probabi*lior,* vocare „tenuiter vel dubie probabilem sensu ethico", ut *Ter Haar* eodem loco dicit. Nam si momentum illud grave rationis opposita ratione non enervatur, opinio illa manet etiam sensu ethico seu morali vere probabilis i. e. talis, quae quam plurimum *cum vero* coniungatur [haec est enim notio τοῦ probabilis]; neque formido quam infert contra eam opinio contraria probabilior reddit eam futilem et *imprudentem.* Quod necesse erit, ut illa probabilior opinio reddat legem moraliter certam!! — Quod autem Ter Haar addit *S. Alphonsum* idem secum dicere, reverentia erga S. Doctorem me plane prohibet, quominus id admittam; et si quae sunt quae id dicere videantur, potius benigna interpretatione uti necesse est, quam tantum errorem contra logicam in eo admittere.

Difficultas X antiprobabilistis obiecta secundum *Wouters* p. 92 est haec: Lex est onus quoddam; at hoc non censetur impositum, quamdiu vere probabile est illud non esse impositum. — Quod Wouters *aliquando* ita esse concedit, sed ita esse negat, quoties agatur de lege seu ordinatione divina probabi*lius* imposita. Rationem autem non dat, nisi: hoc cap. 2 sui opusculi esse invicte probatum. Sed quoniam illa „invicta"

probatio nihil est nisi infirmum illud argumentum petitum ex obligatione tendendi ad veritatem, difficultatem ab adversario solutam esse, plane debet negari.

Difficultas XI antiprobabilistis obiecta petitur ex difficultate nimia, quae hominibus imponatur perpendendi in quibuslibet controversiis gradus probabilitatis diversos, cum facile quidem sit discernere sententiae alicuius solidam probabilitatem, discernere autem quae sit maior quae minor probabilitas, sit valde difficile. Quae ratio confirmatio quaedam est systematis antea sive probati sive reprobati per alia argumenta convincentia potius quam argumentum ex se certum. — Verum responsum, quo cl. *Wouters* hanc difficultatem vult excutere, non est ad rem. Dicit enim hanc difficultatem errore inniti, qui „ignoratio elenchi" nuncupetur, cum ab aequiprobabilistis nihil aliud exigatur nisi quod ipsi probabilistae exigant, ut scilicet „quisque, antequam agat, pro viribus i. e. proportionata cum diligentia veritatem inquirat. Quodsi quis, debita adhibita diligentia, persuasum sibi habeat opinionem faventem legi *probabiliorem* esse, hanc sequatur oportet; sin minus, nulla oritur obligatio." Hoc responsum, ut dixi, non est ad rem. Nescio enim, num adversarii ita diminuere velint obligationem expendendi maiorem minoremque alicuius rationis probabilitatem, ut nolint ad probabiliora obligare, nisi haec sine difficultate in oculos incurrant. Neque id nunc quaerendum est, qua diligentia *contenti sint,* sed quid secundum suum systema *exigere debeant,* et quae difficultates ex systemate ipso ad amussim applicato oriantur. Si enim probabiliora obligant eo quod sint probabi*liora,* sequitur omnino in maiorem minoremve probabilitatem seu *in ipsos gradus probabilitatis* serio inquirendum

esse, cum in systemate probabilismi sisti possit in probabilitate vera et solida cognita, etsi diversi ipsius gradus non ita diligenter exquirantur.

In *Difficultate XII* (p. 94 sqq) complura tanguntur, quae elucidatione aliqua indigent. Nimirum dicitur a probabilistis contra antiprobabilistas: „Opinio minus sed vere et solide probabilis non amittit suam probabilitatem, ideoque sistit intra terminos rectae rationis et prudentiae; verum eiusmodi opinionem sequi non est contra rectam rationem vel prudentiam, proin non inhonestum vel illicitum." Contra quae adversarius animadvertit: 1. Maiore probabilitate non vere elidi minorem probabilitatem oppositae sententiae in multis casibus concedit, neque eam esse intimam rationem, cur contra probabilismum aequiprobabilismum teneat, fatetur. Quapropter in hac re non oportet diutius immoremur. 2. At opinionem minus etsi solide probabilem intra terminos rectae rationis et prudentiae sistere negat omnino.

Describit scilicet opinionem minus probabilem tamquam opinionem „cui *tamquam verae* ne infirmus quidem assensus prudenter praeberi potest, immo quae assensu opinativo *tamquam falsa* habenda est", atque eiusmodi opinionem dicit non amplius esse intra terminos rectae rationis et prudentiae. Atque revera in hoc cardo rerum versatur, quod cl. Wouters contendit, sententiae minus probabili assensum positivum praeberi prudenter non posse, sed iudicium circa eam, si prudenter feratur, necessario esse iudicium de eius falsitate. P. 97 ait: „utramque partem contradictionis posse prudenti assensu a ratione acceptari . . . negandum est: quandoquidem is, cui una opinio certo probabilior apparet, certo minus probabilis altera, is, inquam, si prudenter agere velit,

uni tantum (ut vidimus p. 15) opinioni, quae est probabilior *tamquam verae* assensum infirmum praebere potest, alteri vero, quae est minus probabilis *tamquam falsae* infirmiter assentiatur oportet."

Verum quae hic universim et indiscriminatim dicuntur, omnino sunt distinguenda; alioquin sunt falsissima. Certe, quando iudicium fero de opinione probabiliore *ut probabiliore*, seu comparans eam cum opinione opposita, possum quidem assensum suspendere, eo quod rationes pro eius veritate non sint convincentes sed probabiles tantum; sed non possum prae opposita eam positive falsam iudicare, neque oppositam prae probabiliore veram. *Si* igitur assensum positivum in ea conditione dare volo, ille erit assensus infirmus in opinionem probabiliorem ut fortasse veram contra minus probabilem ut fortasse falsam. Attamen ex hoc ipso, quod tantum fortasse sit vera, — manente *gravi dubio* de veritate — *concludo abesse vim obligatoriam.*

Dein nullatenus necesse est, ut opiniones illas contradictorias probabiles semper sub hac formali comparatione considerem ut probabilius vel minus probabiliter veras; sed possum eas etiam considerare *ut fortasse falsas.* Nam eo ipso quod opinio probabilior solum probabilior mihi videtur, esse plane potest, ut re ipsa sit falsa atque fallax sit illa quae mihi videtur adesse maior probabilitas; e contrario opinio illa probabilis, quae mihi videtur minus probabilis, fortasse re ipsa non tantum probabilior sed vera est — alias non esset probabilis. Qũare omnino rationabiliter et prudenter iudico, si iudico ita: Opinio illa probabilior fortasse erit falsa; opinio illa minus probabilis fortasse erit vera. Sed ita iudicans infirmum assensum positivum praebeo opinioni minus probabili tamquam verae, et probabiliori

tamquam falsae. Ergo falsum est *me debere,* si prudenter agere velim, adhaerere probabiliori opinioni, aversari minus probabilem. Ratio autem, cur mens mea repudiare possit prudenter probabiliorem, minus probabilem amplecti, non est huius minor probabilitas vel maior probabilitas illius, sed *probabilis deficientia a veritate,* quam etiam in probabiliore opinione deprehendo. Responsum igitur a cl. Wouters datum difficultatem contra antiprobabilistas nullatenus elevat.

Reliquae *difficultates XIII et sequentes* omnes versantur de principiis illis ab ipso S. Alphonso multoties enuntiatis: „In *dubio* melior est conditio possidentis, i. e. libertatis humanae"; „in *dubio* lex non obligat". Quorum vim ut probabilistis eripiat, adversarius hanc praecipuam, immo dicere licet unicam, rationem opponit: ita esse in dubio *stricto,* non in dubio *lato,* dubium strictum intelligens, quando sunt ex utraque parte rationes aequales; dubium latum, quando ex una parte sunt rationes probabiliores, utut graves sint ex parte altera. Quam rationem ut probet rectam esse, remittit lectorem ad argumenta contra probabilismum data, i. e. ad unicum argumentum internum, quod petit ex debita tendentia in ordinationem Dei obiectivam antecedentem. At quoniam hoc argumentum nullius roboris esse ostendimus, solutionem difficultatum illarum omnium fundamento carere dicendum est.

Concludi ex iis, quae hucusque disputata sunt, debet hoc: Impugnatio probabilismi ex rationibus internis eum minime evertit, sed inconcussa stat hucusque thesis: Licet sequi opinionem vere et solide probabilem, etsi forte contraria sit probabilior. Videamus, num adversariorum conatus felicior sit, quando argumenta sumunt ex auctoritate.

IV. Probabilismus vindicatur contra argumenta ex auctoritate S. Alphonsi desumpta.

§ 9. Brevis responsio et accurata rei de qua agatur definitio.

Circa doctrinam S. Alphonsi, quasi probabilismum everteret, iam complura praeoccupata sunt iis, quae de argumento interno disputavimus. Sed quoniam ex ipsa doctrina et auctoritate S. Alphonsi aequiprobabilistae primarium argumentum contra probabilismum petunt, omnia ex ordine examinanda sunt.

Argumentum, quod Wouters proponit, est hoc (p. 32):

> „Reiciendum videtur systema morale, quod pro viribus impugnavit S. Alphonsus. Atqui sanctus Doctor pro viribus impugnavit probabilismum, i. e. doctrinam quae admittit usum licitum opinionis, quam ipse qui operatur certo minus probabilem habet. Ergo probabilismus videtur reiciendus."

Ad quod *primum* breviter responsurus sum, *dein* singula momenta ab adversario allata examinaturus.

Sit igitur responsum breve: *I. Distinguo Mai.:* Reiciendum est illud systema . . . quatenus cum illa impugnatione iudicium Ecclesiae consentit, *concedo Mai.;* alias *transeat Mai.* (Cur transmittam aliam partem Maioris distinctae, postea explicaturus sum). *Contradist. Min.:* S. Alphonsus pro viribus impugnavit probabilismum, ita ut iudicium Ecclesiae cum eo consentiat, *nego Min.,* alias *transeat Min.* Proin *negatur Conseq.*

Resp. II. Transeat Mai., distinguo Minorem: S. Alphonsus complura dixit contra probabilismum, quae benignam interpretationem et admittunt et postulant, ne pro probabilismi vera impugnatione habeantur, sed quae simul interpretationem benignam exigunt, ne

S. Doctor secum ipse videatur pugnare, *conc. Min.*, alias *nego* vel *subdist.;* scil. re ipsa vere impugnavit opiniones probabiles, *subdist. Min.:* quae speciem quandam probabilitatis quibusdam videantur habere, sed non sint nisi tenuiter probabiles vel improbabiles, *concedo Min.;* quae etsi minus sint probabiles, tamen vere sint et solide probabiles, *nego Min.*

Aliis verbis dist. Min.: S. Alphonsus impugnavit probabilismum eo sensu, ut reiecerit usum opinionis *solide* probabilis, etsi forte minus probabilis sit, *neg. Min.;* nam si ita esset, expungendi essent ex libris S. Alphonsi innumeri loci, ubi admittit usum sententiae *probabilis,* quamquam oppositam dicit „probabiliorem quidem". — S. Alphonsus impugnavit probabilismum eo sensu, ut reiecerit usum opinionis *certo minus* probabilis, *subdist.:* supponendo eam manere vere et solide probabilem, *neg. Min.;* supponendo eam evasisse *non vere* probabilem, *trans.* vel *conc. Min.* Atque hoc posteriori sensu tantum sumi possunt verba S. Alphonsi alioquin duriora, quae *Wouters* 49 refert: „probabilismum a me penitus reprobari", nisi scripta S. Doctoris velis dicere contradictionibus quam plurimis scatere, librosque eius complures ab Ecclesia approbatos atque laudatos laxismo esse infectos.

Cardo rei in hoc igitur vertitur, ut demonstretur ab adversariis: 1. S. Doctorem probabilismum seu usum opinionum vere et solide probabilium universim sumptarum reprobasse, quando reprobat minus probabiles in concursu probabiliorum; 2. Ecclesiae approbationem hanc ipsam reprobationem spectare.

Haec semper in expendendis dictis S. Alphonsi ante oculos poni debent, ne ultra verum vis alicuius S. Doctoris effati efferatur. At neutrum probare possunt.

Ultra damus saepius *S. Alphonsum* contra „probabilistas“ acriter locutum esse, atque merito eum id fecisse, cum non defuerint ex numero probabilistarum, qui benigniores atque laxiores sententias statuerint; atque etiam inter auctores Iesuitas fuisse qui benigniores sententias protulerint. Verum ut id fecerint, adacti non sunt systemate probabilismi, sed abusu probabilismi inducti sunt. Statuerunt enim sententias, quae non probabiles, sed improbabiles, tenuiter probabiles, futili ratione innixae erant, quas probabilismus non tenere docet sed reprobare. Sed de his hactenus. Audiamus diversa *S. Alphonsi* dicta ex scriptis eius collecta.

§ 10. Quae S. Alphonsus dixerit contra probabilismum, quae pro probabilismo dixerit.

Multoties in literis suis repetit S. Doctor se non sequi doctrinam Iesuitarum, eo fine ut libris suis aditum non occluderet in eas regiones, ubi omnia Iesuitica delebantur; alioquin eos eorumque doctrinam laudibus effert.

Ita in literis ad *Remondini,* bibliopolam d. d. 30 Iunii 1768 (Lettere II n. 209): „Meum systema circa sententiam probabilem non est systema Iesuitarum; nam ego reprobo opinionem, quasi liceat sequi sententiam ut minus probabilem cognitam, ut admittunt Busenbaum, Lacroix et quasi

In literis ad *Remondini* d. d. 15 Februarii 1756 (Lettere II n. 9):

„Iam scribebam et nunc breviter repeto: in meo libro semper laudatur Lacroix, cum sit eius opus unus ex libris, quos ipse teneo ad manus.

Denuo id commendo Dominationi vestrae, ne librum revisendum det alicui theologo ex schola severiore (ut hodie plerumque sunt Domi-

omnes Iesuitae qui minus probabilem sententiam admittunt. Quod Dominationi vestrae scribere volui, ut possit eadem quando opus fuerit aliis dicere; idque eo magis, quod in Gallia tot libri Iesuitarum sunt, meus autem non", idem ad eund. d. d. 8 Iulii 1768 (l. c. n. 211) narrat se liberatum esse a timore, ne excluderentur sui libri a finibus regni Neapolitani, eo quod repertum sit, se quoad opiniones probabiles non sequi systema Iesuitarum, sed illi contradicere; nam Iesuitas admittere minus probabilem opinionem, se eam reprobare.

Similiter ad *P. Villani* d. d. 6 Novembris 1768 (l. c. n. 216) studet Sanctus periculum avertere, ne opera sua a Sicilia excluderentur, atque monet Tanucci, ministrum regalem, instruennicani); nam non sum eorum sententiae, sed teneo viam mediam. Si essent aliqui ex Patribus Iesuitis, id esset melius, quia illi revera excellunt in theologia morali (sono maestri di morale). Re ipsa Iesuitae Neapolitani una voce laudant etiam publice meum librum. Aliqui tantummodo dixerunt me in certis rebus esse multum severum. Sed, ut dixi, placuit mihi via media."

Ad eundem d. d. 30 Martii 1756 (II n. 10): Teneo quam plurimum sententias Iesuitarum, eo quod *eorum sententiae non sunt benigniores neque rigidiores, sed iustae.* Et si quando teneo opinionem severiorem contra aliquem ex Iesuitis, eam teneo fortasse semper cum auctoritate aliorum scriptorum Iesuitarum: a quibus fateor me sumpsisse pauca illa quae scripsi, nam — id quod semper dico — illi fuerunt et sunt magistri in theologia morali. Neque verum est unum alterum sequi

dum esse, „quod ego non sim secutus systema probabilisticum Iesuitarum, sed teneo — et scripsi in mea Morali typis impressa — sequendam esse opinionem probabiliorem neque licere sequi minus probabilem, ut docent Iesuitae etc.“

Magis etiam insistit S. Doctor in differentia a doctrina Iesuitarum, cum librarius conquestus esset de prohibitis libris ipsius in Lusitania. In literis d. d. 9 Decembris 1769 ad *Remondini* (Lettere II n. 230): „Quoad Lusitaniam opus est patientia .... Sciat Dominatio vestra et dicat omnibus: in meo libro *de Concilio Trid.* me non favere doctrinae scholasticae Iesuitarum, qui defendunt acriter scientiam mediam, quam ego impugno. Ceteroquin non solum contra Iemore pecudum, ut aliqui ex rigoristis dicunt, sed in multis opinionibus unus alteri est contrarius. Et ita ego ea selegi, quae mihi videbantur secundum conscientiam esse meliora ... Precor, ut haec legenda det Dominatio vestra revisori, ut sciat, quale systema teneam. Tenui et teneo systema probabilismi, non iam probabiliorismum vel rigorismum.“

In lit. laud. ad *Remondini* d. d. 30 Iunii 1768 habentur etiam haec: „In Lusitania mandatum est alicui viro ecclesiastico, ut prohibeat libros morales corruptae doctrinae. Quo titulo excludunt omnes libros morales Iesuitarum; sed re vera non omnes libri morales Iesuitarum sunt doctrinae corruptae. Libri Cardinalis Lugo, Suarez, Laymann, Lessii, Castro-

suitas sum quoad doctrinam scholasticam, sed etiam quoad moralem. Nam Iesuitae communiter tuentur licere sequi opinionem minus probabilem, ego autem defendo, si quando opinio pro lege cognoscatur ut probabilior, hanc esse sequendam, neque licere sequi minus probabilem.“ palao aliorumque similium non docent doctrinam corruptam.“

Quantopere ex *extrinsecis* rationibus Sancto Doctori cordi erat sese declarare ut auctorem *severioris* doctrinae, palam fit ex lit. d. fine Martii 1777 ad Ministrum camerae regalis (Lett. II n. 309):

„Quod pertinet ad probabilismum a me doctum, equidem in compluribus libris typis impressis reprobavi probabilismum, demonstrando, salva conscientia non licere sequi opinionem probabilem ea ratione, quod sit probabilis. . . . Verum esse fateor aliquo tempore me scripsisse legem non obligari, quando duae opiniones essent aeque probabiles; sed postea saepius, in tribus operibus meis typis impressis, et speciatim in ‚Monito‘ quod Theologiae mor. adiunxi in 7ma editione Venetiis facta declaravi: sicut non licet sequi opinionem probabilem ita neque opinionem aeque probabilem pro libertate licere sequi; siquidem *τὸ* aequeprobabile, cum non habeat maiorem vim quam *τὸ* probabile, nondum praebet sufficiens fundamentum ad operandum licite.“

Certe S. Alphonsus vult solum dicere opinionem aeque probabilem normam agendi esse non posse, *eo quod sit aeque tantum probabilis;* alioquin eam normam esse

posse, in ipsis illis literis postea repetit, videlicet ex ea ratione, quod in eo casu lex non sit promulgata. Sed quod ita scripserit, ut re ipsa scripsit, plane ostendit se externarum circumstantiarum rationem habuisse quam maximam. Ita etiam melius intelliguntur, quae scripsit 26 Iunii 1777 (Lettere II n. 314). Videlicet urget bibliopolam, ne recuset recudere denuo Theologiam moralem, ne forte propter Iesuitica, quae hucusque in ea remanserant, ubique excluderetur.

„Dico Dominationi vestrae rem, ad quam nondum satis attenderit. Hucusque revisores librorum Neapolitani non habebant difficultatem, quominus antiquiora exemplaria admitterent; sed in posterum non difficulter accidet, ut non amplius admittantur. Nam hoc tempore Societas Iesu est disiecta, abhorrent libros Iesuitarum et maxime morales. Quare in posterum facile fieri potest, ut Neapoli (et fortasse etiam in aliis regionibus Europae) antiquior mea Theologia moralis non amplius admittatur, in qua remanserunt ab initio aliqui tractatus a Iesuitis facti, probabilismo favorabiles, qui hodie ab omnibus odio habetur."

Circa ipsas sententias aeque probabiles nota haec S. Alphonsi dicta:

In literis d. d. 25. Maii 1767 ad *P. Villani:*

„Circa opinionem probabilem duo sunt quae habeam pro certis: 1. Bene posse nos sequi probabilem pro libertate, si aeque probabi-

In ipsa Theol. mor. (ed. 1905) l. 1 n. 54 exhibetur doctrina *S. Alph.* sic:

„Si opinio quae stat pro lege videatur *certe* probabilior, ipsam omnino sectari tenemur."

Quibus in nota adicitur declaratio ex 6ª et 7ma edit.

lis aut paulum minus probabilis est, ita ut sit dubium, utrum haec opinio sit aeque an paulo minus probabilis quam altera quae est pro lege. — 2. E contrario dico et teneo pro certo, si quando opinio pro libertate est certe minus probabilis, et opinio pro lege certe probabilior, nos non posse sequi priorem."

Similiter litera d. d. 8 Aug. 1769 ad *P. Blasucci* (Lettere II n. 219): „Quando *certum* est, opinionem severiorem esse probabi*liorem,* eam sequi debemus; sed quando dubium est, sitne opinio severior aeque an paulo magis probabilis, sed ita paulo magis probabilis, ut dubitetur, utrum sit paulo magis an aeque probabile, in hoc casu dico S. Auctoris; „quia cum opinio pro lege est certe et sine ulla haesitatione probabilior, tum opinio *non potest esse nisi notabiliter probabilior.* Et eo casu opinio tutior iam non erit dubia (intelligendo de dubio stricte sumpto) sed est moraliter aut quasi moraliter certa; saltem nequit dici amplius stricte dubia, cum pro se certum habeat fundamentum, quod ipsa sit vera. Unde tunc fit, quod opinio minus tuta, quae certo fundamento caret, remaneat aut tenuiter aut saltem dubie probabilis respectu tutioris; adeoque non est prudentiae, sed imprudentiae velle eam amplecti."

Ibid.: „Quando excessus *certus* est, *est etiam notabilis.* Nam nisi esset notabilis, res non esset certa, sed ambigua et dubia, et ita non esset moraliter loquendo demonstrata lex ut promulgata."

Immo in laudatis literis ad *P. Villani* d. d. 25 Maii 1767 adduntur haec:

legem esse stricto sensu dubiam nec posse dici promulgatam, et ideo ex natura rei non obligat."

„Nam quando opinio pro lege apparet certe probabilior, id *signum est eam esse notabiliter et cum excessu probabiliorem; verum pro casu, quod opinio pro lege notabiliter et cum excessu probabilior est, ipsi probabilistae dicunt sequendam esse opinionem pro lege, eo quod in hoc casu lex est saltem moraliter sufficienter promulgata, atque in tali casu sequi velle opinionem benigniorem videtur esse actio imprudens et contra rationem cognitam.* . . . Quod systema volo ut teneatur, ne nostri Fratres amplectantur verum laxismum."

§ 11. Conciliatio eorum quae sibi videntur contradictoria, quibus ostenditur S. Alphonsum opiniones solide probabiles, etsi forte minus probabiles, numquam repudiasse.

Quodsi haec diversa *S. Alphonsi* dicta comparamus, cogimur dicere non omnia ad summos apices sumi posse, sed latiore interpretatione, eaque ex circumstantiis explicatu facili, indigere, ne S. Doctorem plane sibi contradictoria dixisse fateamur.

Ex una parte summis laudibus extollit scriptores Iesuitas atque usque ad ultima tempora fructus uberrimos recenset, quos munere confessariorum et animarum

directorum fungentes retulerint; ex altera parte protestatur se non sequi Iesuiticas doctrinas, sed in theologia morali se eos ut nimis benignos relinquere et oppugnare, vel si credere velimus assertis *Ter Haar,* se eorum systema ut verum laxismum condemnare.

Num haec igitur S. Doctorem sibi ipsum contradicentem necessario exhibent? Explicari ea posse censeo facili negotio, si modo eam oppositionem benigne interpreteris. Videlicet erant sane etiam inter scriptores ex Societate Iesu, qui sententias nimis benignas statuerant, at qui inter ipsos etiam suos sodales adversarios habuerant: hos sane S. Alphonsus non sequitur. Verum alii erant scriptores moralistae Iesuitae, qui teste S. Alphonso nullatenus sententias nimis benignas tenuerint, eosque ipsos probabilistas, neque eos S. Alphonsus reiecit vel insecutus est umquam. Num igitur vitio vertendum est Sancto, quod non semper adhibuerit hanc distinctionem dicendo se quosdam Iesuitas reprobare, comprobare alios? Nequaquam id spectatis temporibus vitio verti potest. Exarserat enim bellum infensissimum contra Societatem Iesu, demum exstinguebatur, calumniis omnibus impetebatur, omnibus odio facta erat, ita ut inimici omnia, quae exstinctum Ordinem in memoriam revocabant, auferre et delere velle viderentur. Iesuitica inimicis Societatis erant eadem atque criminibus plena, penitus abominanda. Cum igitur S. Doctor suos libros rectissime non pro Iesuiticis sensu inimicorum haberet atque a complurium Iesuitarum doctrina re ipsa recederet: merito efferre potuit suam a Iesuitis differentiam tacens ea in quibus cum iis convenit. Alioquin quomodo explicabis alia S. Doctoris effata: se esse vere probabilioristam, cum certissime longe abfuerit a doctrina probabilioristarum sensu universali,

immo sensu trito sumpto, atque solum in aliquibus cum probabilioristis convenerit?

Dein quoad systema, quod posterioribus vitae annis tenuerit S. Doctor, estne hoc vere *anti*probabilisticum, ut *Wouters* et *Ter Haar* contendunt? Verum est S. Alphonsum posteriore vitae suae tempore impugnasse communem modum quo probabilismus proponebatur et enuntiabatur, quamquam priore tempore eundem plane approbaverat et pro viribus defenderat; sed ipsam rem eum reprobasse verum non habeo.

Quod mutavit, est hoc: Priore tempore S. Doctor clarissimis verbis defendit licere homini sequi opinionem vere et solide probabilem, etiam minus probabilem libertati faventem, relicta probabiliore opposita; postea negavit licere cuipiam sequi opinionem *certe* minus probabilem, relicta certe probabiliore. Sed haec etsi videantur contradictoria, contradictoria non sunt.

Nam si *admisit* in priore enuntiatione opiniones minus probabiles, non admisit nisi eas, quae maneant vere et solide probabiles; si *reiecit* in posteriore enuntiatione opiniones minus probabiles, non reiecit nisi eas quae evadant tenuiter atque dubie probabiles: semper enim retinuit licitum esse usum earum opinionum, quae paulo minus sint probabiles, atque vix non omnes tamquam *paulo* minus vel *dubie* minus probabiles in sua Theologia morali retinuit, quas ut vere et solide probabiles antea agnoverat. Nisi enim excessus maioris vel minoris probabilitatis esset *notabilis* et *magnus,* noluit eum dicere *certum.*

Quod si ita est, S. Doctor numquam fuit antiprobabilista, etsi nomen aequiprobabilistae moderati seu largi praetulerit; nam si sola tenuiter probabilia reicienda esse docet, non est antiprobabilista, cum probabilista vi sui systematis ea etiam reiciat et reicere debeat.

Quodsi aliqui ex probabilistis sententias benigniores et improbabiliores defenderint, id non ex probabilismo, sed ex probabilismi abusu ortum est.

Quae dixi, ex ipsius Sancti Theologiae moralis editionibus variis confirmantur. Constat enim 1. S. Doctorem eam scripsisse et primum edidisse *ut probabilistam.* Literis enim d. d. 30 Martii 1756, quando iam altera editio in lucem prodierat, aperte *se tenuisse et tenere* dicit *systema probabilismi.* Constat 2. Theologiam hanc moralem numquam funditus esse subversam atque de novo a S. Doctore confectam; sed et rem et modum loquendi *mansisse eandem,* exceptis paucis quaestionibus — similiter ut quilibet auctor ceteroqui sibi constans in editionibus subsequentibus pauca solet corrigenda reperire. Constat 3. usque ad annum 1777 (v. supra p. 57) S. Alphonsum retinuisse prolegomena P. Ant. Zacchariae S. J., eaque „quae probabilismo faveant", quod certe non licuit, si probabilismum pro systemate morum corrumpente habuisset aut quoad substantiam ipse ab eo systemate recessisset. Constat 4. in omnibus editionibus locis quam plurimis S. Alphonsum inducere duas sententias oppositas hac vel simili formula: „Haec quidem sententia proba*bilior* est; verum opposita *est adhuc satis probabilis*", quo declaret posteriorem benigniorem, *etsi minus probabilem,* quemlibet licite sequi posse.

Quae sane verba ultima sunt viri, qui vim ponit *in vera et solida probabilitate* quo discernat licita ab illicitis, i. e. viri probabilistae, non antiprobabilistae. Paucis, nisi verba detorquere velis, ea plane enuntiant in discernendis licitis et illicitis non id praecise considerandum esse, num una opinio altera sit forte probabilior aut minus probabilis, sed num sit *adhuc satis* (seu *vere et solide*) *probabilis.* Reliqua vero, quae notavi

et enumeravi, explicari vix possunt, si S. Doctor in posteriore aetate plane aliud systema docuisset quam antea, si systema mutatum quaestionum singularum solutionem essentialiter diversam secum ferret, seu si systema posterius qua diversum a priore probabilismo tanti momenti esset, ut adversarii volunt, ita ut „per totam scientiam moralem quam latissime pateret eamque quasi pervaderet“ (*Wouters* 32); optime autem explicantur, si essentiale discrimen vix exsistit inter probabilismum verum, quem S. Alphonsus ab initio defendit et aequiprobabilismum largum, cuius nomen postea magis voluit adhibere. Dico aequiprobabilismum *largum,* quia S. Alphonsus aequam probabilitatem stricto sensu sumptam non exigit, sed contentus est opinione „paulo minus“ probabili, idque „**paulo** *minus*“ adesse sumit, quamdiu contraria opinio non est *notabiliter, cum excessu* probabilior, ita ut *imprudens* sit de huius veritate dubitare.

Contra hanc interpretationem, qua etiam *Noldin,* Summa theologiae mor., de principiis n. 226, et *G. Arendt,* Fundamenta aequiprobabilismi in *Anal. eccl.* XIII 422 sqq apparentes antilogias S. Alphonsi conciliare nituntur, *Wouters* (l. c. 47) insurgit; proin reicere cogitur omnes S. Alphonsi editiones usque ad septimam editionem Theologiae moralis inclusive, anni 1773, solam 8^{vam} anni 1779 et immutatam editionem 9^{am} anni 1785 pro genuino foetu S. Alphonsi agnoscere. In editione hac 8va enim non amplius habentur verba illa, quibus S. Doctor „*certe* probabiliora“ cum „*notabiliter* probabilioribus“ convertit, „*certe minus* probabilia“ eadem esse sumit atque „*tenuiter* vel *dubie* probabilia“ et quibus in „imprudentia“ insistit, quae committatur adhaerendo opinionibus illis minus probabilibus quas reicit. Huic fusiori expli-

cationi S. Doctor substituit brevem illam rationem: „quia ad licite operandum debemus in rebus dubiis veritatem inquirere et sequi: at ubi veritas clare inveniri nequit, tenemur amplecti saltem opinionem illam quae propius accedit ad veritatem, qualis est opinio probabilior."

Sed haec certe non sunt clariora, neque *si priores explicationes reiciantur* videntur esse vera, ut supra late exposui, neque fuerunt umquam norma, secundum quam S. Doctor opiniones quae permitti possint ab iis quae sint reiciendae discreverit. — In *eo* modo defendendi S. Alphonsi videtur cl. *Wouters* singularis, quasi anno demum 1779 rectum systema expresserit. Nam editor, qui nunc criticam operum S. Doctoris editionem parat, videtur contrarium sensisse, cum novam lucem dictis S. Alphonsi affundere putet ex laudatis verbis editionum sextae et septimae, seu ex aequiparatione *certe* probabilioris cum *notabiliter* probabiliore et similibus. (Cf. Editionem anni 1905 lib. 1 n. 54 not. a.) Neque aliter alii doctissimi viri, qui ex familia S. Alphonsi in doctrina theologiae moralis excelluerunt. Unum appello testem omni exceptione maiorem, *P. Ios. Aertnys,* scriptis suis notissimum.

Aertnys, Theol. mor.[6] lib. 1 n. 94, ad declarandam mentem S. Alphonsi in iis, quae obiter legenti videntur contradictoria, ita ait (subduco verba aliqua illustriora):

> „In primis dissertationibus suis S. Alphonsus enixe defendit contra probabilioristas thesim probabilismi: ‚Licet sequi opinionem probabilem pro libertate, relicta probabiliori pro lege.' *Ab hac sententia S. Doctor numquam recessit;* sed ad avertendum a probabilismo periculum laxitatis, postmodum tam-

quam partem systematis sui adiciendum esse censuit hanc moderationem. ‚Non licet sequi opinionem benignam, quando opinio pro lege est *certo et notabiliter* probabilior', quia huiusmodi opinio iam est, sicut declaravimus, moraliter certa, et altera non est vere ac solide probabilis, sed dubie tantum aut tenuiter. *Haud alium* sensum habet thesis, quam deinceps defendit: ‚Cum opinio benigna est aeque vel fere aeque probabilis ac opinio pro lege, licet illam sequi.' Systema sic completum statuit post maturam ac diuturnam deliberationem, ut ipsemet testatur. Hinc qui contendunt licitum esse sequi opinionem benignam, etiamsi opposita sit *certo et notabiliter* probabilior, illi sequuntur probabilismum quem S. Alphonsus cum multis aliis tamquam laxum reicit.

„Distinctionem inter opinionem paulo et multo probabiliorem adscribendam esse illi motivo, quod supra attulimus, S. Alphonsus luculenter exponit in sua *Apologia* anni 1765 his verbis: ‚Numquam contendi neque nunc contendo nova condere systemata; bene novi nullum probabilistam solidae doctrinae pro licito habere usum opinionis tenuiter aut dubie probabilis. Verum quia multi probabilistae *indiscriminatim dicunt,* licere sequi opinionem minus probabilem, quando illa aliquod fundamentum habet ex ratione sive ex auctoritate, idcirco *volui distinguere,* dicendo illicitum esse sequi opinionem minus tutam, *quando multa et certa est praeponderantia* a parte opinionis tutioris . . . *quia tunc opinio minus tuta non potest dici certe probabilis.*' *Itaque eo fine distinxit, ut* certae probabilitatis limites definiat eoque pacto *praecludat usum opinionum, quae non*

vere ac solide probabiles sunt. Inde ultro consequitur, S. Doctorem numquam opinionem aliquam vocare probabilem, dum oppositam notabiliter probabiliorem iudicat; et e converso *numquam opinionem aliquam vocare notabiliter probabiliorem, dum oppositam vere et solide probabilem habet;* prout bene advertunt *Wirceburgenses* (de Act. humanis n. 240): ‚Vix ullus prudens theologus opinionem suam affirmabit manifeste et notabiliter probabiliorem, quamdiu oppositam agnoscit vere ac theologice probabilem; quae si cessat talis esse, cessat et quaestio.'"

Haec praeclare dicta sunt. Haec conciliant fere eodem modo quo ego quoque supra conatus sum, diversa dicta S. Alphonsi apparenter sibi contraria, defendunt S. Doctorem ab inconstantia in doctrina, at simul ostendunt, inter probabilismum verum et aequiprobabilismum moderatum S. Alphonsi, inter dicta S. Doctoris priora et posteriora non re sed solis verbis et loquendi modo esse aliquod discrimen.

Atque auctor laudatus illud idem fatetur, reale scil. discrimen inter doctrinam verorum probabilistarum et doctrinam S. Alphonsi vix esse, eamque esse ipsius S. Alphonsi sententiam, cum referat ex S. Doctoris epistula d. d. 25 Maii 1767 haec verba: „Quando opinio pro lege est notabiliter et longe probabilior, tunc ipsi auctores nostri probabilistae dicunt, sequendam esse opinionem pro lege, eo quod tunc lex saltem moraliter iam satis promulgata est" (Lettere II n. 188: „Quando l'opinione per la legge è notabilmente più probabile con eccesso, allora dicono gli stessi autori nostri probabilisti, che dee seguirsi l'opinione per la legge, perchè allora la legge è, almeno moralmente, già abbastanza promulgata, ed il volere allora seguir l'opinione benigna

sembra un operare imprudentemente e contra la ragione conosciuta.")

In easdem partes eunt scriptores „Vindiciarum Alphonsiarum" contendentes, doctrinam anni 1755 cum doctrina posterioris aetatis quoad substantiam convenire. Nam p. 42 sqq ed. I laudant verba S. Doctoris „*Licitum est* uti opinione probabili *etiam in concursu probabilioris pro lege, semper ac illa certum et grave habeat fundamentum.*" Quae verba quoad substantiam non opponi sententiae posterioris aetatis: „*Illicitum* est sequi opinionem minus probabilem, *quando opinio quae stat pro lege est notabiliter et certo probabilior*" (ib. 47). Nam, uti dicunt (ib. 43), etiam iam anno 1755 exclusit usum eius opinionis minus probabilis, quando opponatur probabiliori „quae habeat pro se tam convincens argumentum, ut contraria vere improbabilis, vel non amplius graviter et certo probabilis videatur". Quae sane sibi cohaerent, at tum tantum sibi cohaerent, si S. Alphonsus nomine „opinionis *paulo minus* vel dubie minus probabilis", qua uti licere semper docuit, omnem eam opinionem designaverit, quae gravem et solidam pro se habeat rationem, atque si tutiorem certe vel notabiliter probabiliorem opinionem, quam posthabere non liceat, eam tantum habuit, quae tantae sit „praeponderantiae", ut opposita „minus probabilis" sit tenuiter vel dubie probabilis, immo improbabilis merito dicatur. In quo conveniunt etiam omnes probabilistae veri nominis. Si qui igitur priore aetate aliquando laxiore modo locuti sunt, ii *probabilitatis* nomine sunt abusi, neque ratio esse possunt, cur *verus* probabilismus, qui opinionum gravi tantum fundamento nixarum et probatarum usum concedit, reiciatur. Laxiorem istum loquendi et sentiendi modum S. Alphonsus reprobare intendit, quando se pro-

babilistam esse negat, non reprobans eos, qui verum et solidum probabilismum a moderato aequiprobabilismo vix discrepantem sequuntur.

Relinquo antiquiores S. Alphonsi filios, de theologia morali bene meritos, *Haringer* et *Heilig*, qui etiam doctrinam S. Doctoris ita exponunt, ut essentiale discrimen seu oppositio contra probabilismum non reperiatur.

Quibus consideratis satis demonstratum esse puto, usum opinionum vere et solide probabilium, ac proinde verum probabilismum a S. Alphonso numquam esse reprobatum, utut nomen probabilismi cum nomine aequiprobabilismi mutavit.

Supervacaneum igitur videri potest porro examinare, quo sensu Ecclesia doctrinam S. Alphonsi approbaverit. Nam ex demonstratis iam corruit argumentum adversarii (supra p. 51), cum eius propositionem *minorem* eo sensu, quo ab adversario intelligatur, falsam esse patefactum sit.

§ 12. Disquiritur, num approbationes et laudes, quibus Ecclesia S. Alphonsum prosecuta est, sensum antiprobabilisticum habeant.

Sed quo magis etiam patescat, quam parum ex doctrina S. Alphonsi argumentum duci possit ad impugnandum efficaciter probabilismum, etiam alteram thesim (v. supra p. 51) quam adversarius demonstrare debet, examini subiciam, videlicet: approbationem et laudes, quas Ecclesia S. Alphonso eiusque doctrinis detulerit, reprobationem probabilismi continere. Et haec quidem quaestio, si accurate rem perpendimus, certe maioris momenti est, quam videre quid S. Alphonsus ipse senserit. Nam summae etiam laudes eidem collatae eum non reddunt infallibilem seu omnis erroris expertem. Quapropter etsi adversarii possent ostendere, S. Doc-

torem probabilismum verum et solidum reprobasse, nihil efficerent, nisi simul probarent, cum S. Alphonso ipsam Ecclesiam reprobasse eundem.

Quaestio igitur nunc instituenda ea est: num, dato sed non concesso, S. Alphonsum reprobasse opiniones probabiles veras et solidas, prout a probabilismo admittantur, etiam Ecclesia hanc ipsam reprobationem enuntiaverit, cum laudaret S. Alphonsum.

Quod plane negandum esse affirmo. Atque ut id a me recte affirmari ostendam, percurrenda proponam singula praeconia, in quibus contraria adversarii mei opinio nititur (*Wouters* 32 sqq). 1° Afferuntur literae, quibus plures quam sescenti Episcopi de S. Alphonso testantur: „Scripta moralia S. Alphonsi in scholis catholicis acceptata iure merito tamquam tuta, sana, ac perpetua regula ab ipsis reputantur."

Resp. 1. Id ipsum equidem iudico. Verum eiusmodi iudicium non distinguit inter doctrinam S. Alphonsi priorem et posteriorem; ergo etiam *illam* vocat tutam et sanam, quod nihil aliud est nisi *probabilismum* tutum et sanum dicere, sicut suo tempore *Benedictus XIV* eam editionem Theologiae moralis laudavit, quae a S. Alphonso *probabilista* conscripta et edita erat. — 2. Eiusmodi laudes non plus volunt, quam ipsa Romana tribunalia de doctrina S. Doctoris edixerunt, nimirum propter summas etiam laudes delatas opiniones discrepantes aliorum propterea non esse damnandas neque reprehendendas. Quomodo igitur ex iis laudibus sequitur, probabilismum nihilominus esse opinionem propter S. Alphonsi laudes, qui modo eum defendit, modo eum reicere videtur, damnandam?

2° Affertur decretum super revisione et approbatione Ven. Alphonsi die 18 Maii 1803: „Facta . . . plena re-

latione tam praefatorum operum impressorum, quam aliorum Mss omnium . . . nihil in eis censura dignum repertum est.“ (*Wouters* l. c. 32.)

Resp. 1. Mirum est, cl^m^ *Wouters* in his verbis tantas laudes hoc loco reperire, cum paucis paginis postea (p. 69) hoc decretum seu responsum adeo deprimat, ut nullam inde approbationem, sed summum non-reprobationem deduci posse dicat.

Resp. 2. Equidem censeo ex hoc decreto, omnibus spectatis circumstantiis, plus *deduci* posse quam solam non-reprobationem, etsi primo et per se hanc solam non-reprobationem contineat. At ilico addo, omnem approbationem omnesque laudes quae inde colligi possint non minus probabilismum quam aequiprobabilismum spectare. Constat enim certissime, illud Ecclesiae iudicium latum esse etiam de illis S. Alphonsi scriptis, quibus aperte et nudis verbis probabilismum tuetur et vindicat, utpote quae etiam Ecclesiae examini subiecta fuerint. Ex quo porro concludere licet, Ecclesiam inter S. Alphonsi aequiprobabilismum et eius probabilismum aetatis prioris non tantum invenisse discrimen, ut non indiscriminatim utrumque systema probaverit.

3° Affertur (*Wouters* l. c. 33) decretum de S. Alphonsi *Virtutibus heroicis* d. d. 9 Maii 1807: „Magna, quae de castis sanctisque moribus Ven. Alphonsi insedit opinio apud omnes, . . . semper magis magisque aucta est. . . . Elucebat in verbi Dei ministerio; . . . in cathedra morum, apud conscientiam moderatores, dum doctrinae copiam effundebat; . . . in pastorali officio apud commissum sibi gregem, dum vigili custodia illam salutaribus pascuis enutriebat.“

Resp. Haec verissima esse possunt, etiamsi S. Alphonsum nudum probabilismum seu liceitatem opinionum

solide probabilium defenderit; immo haec vera sunt sine dubio etiam pro illo tempore, quo Sanctus sine ulla contestatione probabilistam se palam professus est, nisi elogia ei tunc temporis a SS. Pontificibus delata velis esse inania. Elogia enim Benedicti XIV legere potes in *Vind. Alphons.* dissert. prooem., ex quibus patet, S. Pontificem S. Alphonsum securum reddidisse de publica utilitate, quam scriptis suis moralibus procuraverit, et cum interrogaretur quid censendum sit de peccaminositate „maledictionis in defunctos", eum decisione declinata respondisse: „Habetis vestrum Ligorium, eum consulite". Quae omnia referuntur ad Alphonsum *probabilistam.*

4° Affertur Bulla canonizationis d. d. 26 Maii 1839 atque imprimis post commemorata scripta moralia hoc elogium: „Illud vero imprimis notatu dignum est, quod licet copiosissime scripserit, eiusdem tamen opera inoffenso prorsus pede percurri a fidelibus posse, post diligens institutum examen perspectum fuerit."

Resp. Ergo et ea quae S. Doctor contra probabiles opiniones scripsit et ea quae scripsit ad eius defensionem, *utraque* inoffenso pede percurri possunt: quod tum maxime verum est, si reale discrimen inter utriusque generis effata, quae in S. Alphonsi scriptis habentur, vel nullum vel exiguum est atque utraque dicta possunt conciliari. Quod quomodo fieri posse equidem ostendi, nequit facere adversarius.

5° et 6° Afferuntur responsa S^ae^ Poenitentiariae, quibus patet, sententias S. Alphonsi *in praxi tutas* esse habitas, videlicet 5 Iulii 1831: a) „S. Theologiae professorem tuto sequi posse ac profiteri opiniones, quas in sua Theologia morali profitetur B. Alph. a Ligorio", ita tamen ut „non reprehendendi censeantur, qui opi-

niones ab aliis probatis auctoribus traditas sequuntur"; b) „non esse inquietandum confessarium, qui omnes B. Alphonsi sequitur opiniones in praxi sacri tribunalis poenitentiae sola ratione, quod a Sede Apostolica nihil in operibus censura dignum repertum fuerit". — „Confessarius", ut dicitur, „non legit opera B. Doctoris, nisi ad cognoscendum accurate eius doctrinam, non perpendens momenta rationesve quibus variae nituntur opiniones. . . ."

Similiter d. 19 Dec. 1855 quaerebat aliquis, qui emiserat iuramentum sequendi doctrinam certae universitatis, num sibi liceat, iuramento non obstante, sequi doctrinas S. Alphonsi. Ad quod responsum est „Affirmative".

Ut ex iis aliquid colligatur contra probabilismum, *Wouters* effert, accuratas doctrinas S. Alphonsi ex ipsa ultima editione Theologiae moralis hauriendas esse, atque in ea S. Doctorem apertius se profiteri antiprobabilistam.

Resp. 1. Sine dubio in illis quaesitis et responsis minus spectabatur morale systema quam particulares quaestionum moralium decisiones (illae enim sunt, quae practico usui sunt in sacro tribunali poenitentiae); has autem aut factas esse secundum regulas quam solidi etiam probabilistae sequuntur, aut a decisionibus probabilistarum re non discrepare, supra dictum est.

Resp. 2. Si quis autem inter quaestiones, quas propter auctoritatem S. Alphonsi quivis sequi possit, etiam aequiprobabilismum enumeret: certe non nego, eum quemlibet impune sequi posse; contendo autem ex supra demonstratis, eum a vero probabilismo re vix distingui.

Resp. 3. Ex ipso responso S^ae^ Poenitentiariae habetur „reprehendendos non esse, qui opiniones ab aliis

probatis auctoribus traditas sequuntur. *Probati* autem auctores saltem ii haberi possunt, quos ipse S. Alphonsus laudat; laudat vero imprimis: *Lugo, Suarez, Lessius, Castropalao* (v. supra p. 55), qui omnes sunt *probabilistae.* Ergo decretis S. Poenitentiariae tantum abest, ut probabilismo detrahatur, ut potius eius commendatio ex iis colligi possit.

Afferuntur 7° et 8° (*Wouters* 35) laudes, quibus S. Sedes S. Alphonsum prosecutus est, cum ei titulum „Doctoris" decerneret.

Decreto U. & O. d. d. 23 Martii 1871 habentur haec:

„Ipse errorum tenebras ab incredulis et Ianse-nianis late diffusas doctis operibus, maximeque Theologiae moralis tractationibus, dispulit atque dimovit. Obscura insuper dilucidavit, dubiaque declaravit, cum inter implexas theologorum sive laxiores sive rigidiores sententias tutam straverit viam, per quam Christifidelium animarum moderatores inoffenso pede incedere possent."

Literis Apostol. in forma Brevis d. d. 7 Iulii 1871:

„In Dei gloriam spiritualemque hominum salutem unice intendens animum, plurimos libros conscripsit, sacra eruditione et pietate refertos; sive inter implexas theologorum tum laxiores tum rigidiores sententias ad tutam muniendam viam, per quam Christifidelium animarum moderatores inoffenso pede incurrere possent; sive ad clerum informandum instituendum, sive ad catholicae Fidei veritatem confirmandam, et contra cuiuscumque generis aut nominis haereticos defendendam; sive ad asserenda huius Apostolicae Sedis iura; sive ad fidelium animos ad pietatem excitandos."

Ad quae *Resp. 1.* Haec speciem quandam reprobati probabilismi prae se ferrent, si S. Alphonsus totius vitae suae studia in expugnandum probabilismum intendisset, sicut intendit in Iansenismum aliasve haereses debellandas. Verum id nemo dixerit re vera a S. Doctore factum esse. Atque ipse Wouters, quamquam contendit „S. Alphonsum pro viribus impugnasse probabilismum", compellitur, ut tacite fateatur, ex ultima demum editione Theologiae moralis anni 1779 se ostendere posse talem aequiprobabilismum a Sancto propositum qui cum vero et solido probabilismo re ipsa pugnat (quod num verum sit, hic non inquiro); dicta S. Doctoris ex priore aetate ea esse, ut probabilismi abusum quidem seu opinionum tenuiter tantum probabilium usum reiciant, usum opinionum solide probabilium adeoque sobrium et verum probabilismum *re* non excludant.

Resp. 2. Inoffenso pede S. Alphonsi scripta percurri a moderatoribus conscientiarum non possent, si probabilismus re vera reprobandus esset et reprobaretur ab Ecclesia. Nam inoffenso pede a moderatoribus conscientiarum ille scriptor percurri non potest, qui laudat et commendat alios scriptores moralistas reprobatae doctrinae. Verum S. Alphonsus laudat, immo magnis laudibus effert scriptores probabilistas seu eos quorum reprobata doctrina, ut verbis Wouters utar (p. 32), „per totam scientiam moralem quam latissime pateat eamque quasi pervadat". Cuius rei testis est non solum literarum S. Doctoris collectio (cf. supra p. 54 et 55), sed totus liber Theologiae moralis, ubi Lugo, Suarez, Layman etc., qui omnes sunt probabilistae, sescenties cum laude efferuntur.

Resp. 3. Laudes etiam illae quae in hisce literis S. Alphonso deferuntur non tam systema morale, quam

quaestiones particulares directe spectant, systema autem eatenus, quatenus in nimis laxa vel nimis rigida decisione particularium quaestionum vitanda sese manifestat. Sed negandum plane est, verum probabilismum non vitare nimis laxas et nimis rigidas decisiones. Testis ipse S. Alphonsus est tum verbis tum factis id testificans: factis, quia in omnibus quaestionibus particularibus probabilistarum scriptorum auctoritate suam doctrinam confirmat; dictis, quia modo universim scriptores Iesuitas probabilistas mediam viam inter laxiores et rigidiores opiniones incedere dicit, modo quando aliquos ex iis scriptoribus repudiat, alios expresse ut auctores solidae doctrinae laudat. — Ut autem laudes illae S. Alphonso delatae quidquam probarent contra probabilismum, ostendendum esset, probabilismum seu scriptores probabilistas, qui intra limites verae et solidae probabilitatis se continent, passim dare decisiones a S. Alphonsi decisionibus contrarias.

Haec eadem magis etiam observanda sunt, si advertimus ad ea, quae *Wouters* l. c. 36 addit, Sanctas Congregationes Romanas saepe in rebus controversis interrogantes ad S. Alphonsum remisisse (vid. consueta illa formula: Consulat probatos auctores, imprimis S. Alphonsum). Haec enim probabilismum nullatenus petunt, nisi ostendatur, S. Alphonsum in dictis quaestionibus antiprobabilistice res dirimere. Immo ne id quidem invicte rem probaret, siquidem S. Congregatio *etiam ad alios* auctores remittat, nisi forte adversarius ostenderit, omnes probabilistas ex probatis auctoribus esse eliminandos. Quod si putaverit se efficere posse, infelicius etiam se adversarium constituere debet S. Alphonsi, quippe cui nihil magis cordi fuerit, quam ex ipsis probabilistis desumere quos auctores habuerit pro-

batos: id enim luculentissime patet ex catalogo auctorum, quos P. *M. Haringer* C. SS. R. Theologiae S. Alphonsi a se editae praefixit, atque brevi nota, qua iudicium S. Alphonsi de ipso scriptore exprimeret, insignivit.

Resumo: Argumentum cl. *Wouters,* quo ex auctoritate S. Alphonsi probabilismum expugnare voluit, debuit, ut supra monui (p. 52), duas theses demonstrare, et S. Alphonsum usum opinionum solide probabilium reprobasse, et Ecclesiam laudibus S. Alphonsi hanc reprobationem confirmasse: quarum si alterutra demonstrari nequeat, adversarii argumentum fallit. Cum igitur ex disputatis et probatis neutra thesis sit demonstrata, multo magis adversarii conatus in irritum cadit. Neque ex eo conatus ille emendabitur, quod auctor (l. c. 120) petat, „ut ipsi dissertationem hanc impugnaturi sedulo perpendant, sintne difficultates quas forte moturi sint, hac ipsa disputatione iamiam explosae". Quae enim contra adversarium eiusque argumentum movi, non inveni explosa. Ictus enim eius, quibus probabilistarum difficultates ferire vult (p. 45—57), debiles atque inermes esse partim ostendi expresse, partim ex hoc solo patet, quod, si re ipsa difficultates a se allatas victor solvisset, non utramque thesim probandam probasset, sed unam solam, videlicet S. Alphonsum opiniones probabiles reprobasse, et eo ipso — id quod addendum est — Sanctum Doctorem sibi ipsum et suis principiis evasisse contrarium: quod solum probasse non sufficit. At ne eam quidem thesim ex solutis difficultatibus eo modo, quo adversarius p. 45—57 solvit, probatam esse dare possumus. Specietenus S. Alphonsum aliquoties probabiles opiniones reiecisse, do; non concedo, eum re ipsa opiniones vere et solide probabiles reiecisse.

Neque ea quae adversarius iis p. 52 opponit, tangunt vel evincunt rem contrariam. Dicit enim: „S. Doctor, ut ex supra citatis testimoniis satis superque patet, *omnem* opinionem certo minus probabilem. nulla exceptione admissa, pro praxi reicit. Praeterea utitur ... argumento, quod demonstrat, certo minus probabilem non posse in praxim deduci, etiamsi *vere probabilis* habeatur." Quam posteriorem thesim S. Alphonsum umquam enuntiasse, pernego; eam deduci legitime ex aliis dictis S. Doctoris, opinatur quidem adversarius, at eum in hoc falli censeo.

Quoad priora autem respondeo, ex verbis S. Alphonsi aliquibus locis prolatis ita videri posse, non nego; at S. Doctor, quando ita agit, cum voce „minus probabilis" eum sensum coniungit quem non omnes alii coniungunt, atque *re* eas tantum minus probabiles sententias reicit, quae sint non amplius vere, sed tenuiter tantum probabiles.

Neque haec evertuntur iis, quae adversarius addit: „Admittit [S. Alphonsus] usum opinionis vere probabilis, supposito quod opinio eiusmodi generatim non sit *certo minus probabilis, transeat;* admittit usum opinionis vere probabilis, supposito quod sit *certo minus probabilis,* vel quod *ei opponatur opinio quae ab ipso operante probabilior habeatur, nego.*" Nam respondeo, haec ostendere differentiam *verbalem* inter probabilistas et inter S. Alphonsum posterioris aetatis, realem differentiam essentialem non necessario inde consequi. Quid enim, si S. Alphonsus opinionem *vere, utut minus,* probabilem numquam dixerit *certo minus* probabilem? si sententiam probabiliorem oppositam, *nisi notabiliter excedat,* numquam dicat *certo magis* probabilem, cum probabilistae ita restricte non loquantur?

Ceteroqui ipse S. Doctor, quando non in eo est, ut posterius systema suum declaret, ab ea loquendi formula abstinet et communiore loquendi modo utitur, vocando opiniones contrarias simpliciter *„probabiles, probabiliores“*, atque tum sescenties opiniones probabiles, *etsi probabilior,* i. e. *ea quam ipse S. Doctor iudicat probabiliorem,* illis opponitur, pro praxi admittit. (Cf. inter alias *Theol. mor.* II 51 58; III 39 76 156 172 et ita porro per omnes libros.) Admitti autem pro praxi a S. Alphonso eas opiniones, *quas vocat probabiles,* etsi contrarias dicat simpliciter *probabiliores,* in confesso est: de quo vide *Vindic. Alph.* app. III clavis oper. mor. S. Alph. § 2.

Satis igitur patet, argumentum ex auctoritate S. Alphonsi eiusque encomiis ab Ecclesia delatis efficax contra probabilismum dici non posse.

V. Auctoritas Ecclesiae perperam invocatur contra probabilismum.

§ 13. Quae vis argumenti insit dictis et doctrinis SS. Pontificum ad certam aliquam doctrinam refellendam aut stabiliendam.

Restat tertium argumentum, quod ex auctoritate Ecclesiae petitur, his verbis a L. Wouters instructum:

„Haud commendanda videtur doctrina, cui Ecclesia palam est aversata, quam exstinguere haud semel conata est. Atqui eiusmodi est doctrina probabilismi, i. e., doctrina quae docet licitum esse sequi certo minus probabilem faventem libertati, seu quod idem est, non dari obligationem sequendi certo probabiliorem legi faventem. Ergo.“

In probanda *Minore* quaedam documenta producit, quorum, ait p. 25, „praecipuum esse decretum ab Innocentio XI conditum unusquisque facile perspiciet".

De quo cum et *Wouters* et *Ter Haar* fuse loquantur tamquam de potissimo argumento, quo probabilismus confodiatur, etiam nobis diutius illi inhaerendum est. Breviter tamen respondeo ad argumentum prolatum sic:

Distinguo Maiorem: Quod Ecclesia seu eius summus Pastor supremo suo iudicio aversatus est, id non est commendandum *Conc. Mai.,* immo id non solum non commendandum, sed plane reprobandum est. Id contra quod aliquando summus Pastor Ecclesiae, plena sua auctoritate non utens, aversionem ostendit, immo quod exstingui cupiebat quidem sed non exstinxit, hoc eo ipso condemnandum est, vel etiam hoc numquam commendari amplius potest, *nego Maiorem.*

Distinguo pariter Minorem: Plena seu suprema sua auctoritate summi Ecclesiae Pastores umquam probabilismum aversati sunt atque exstinguere voluerunt, *nego Minorem;* alias aversionem aliquam aliquis Rom. Pontifex ostendit, *transeat Min.*

Re vera, si quaelibet aversatio, quam quis superior Ecclesiae aliquando ostendit, damnabilem redderet doctrinam quam aversatus est, complures doctrinae certissimae non essent salvae!

Honorius I literis, quas ut Papa scripsit ex officio, aversatus est disputationem duarum in Christo voluntatum. Numquid haec accurata distinctio ex eo evasit *non-commendanda? — Ioannes XXII* satis aversatus est doctrinam quae docet, iustos defunctos ab omni labe puros immediate ad visionem Dei intuitivam admitti. Numquid propterea ea ipsa doctrina evasit non-

commendanda, doctrina illa, quam Benedictus XII, Ioannis successor, ut *de fide tenendam* sollemniter definivit!? — *Sixtus V* doctrinam Bellarminii, qui negavit Ecclesiae potestatem directam in res publicas temporales, longe magis aversatus est, quam Innocentius XI aversatus est probabilismum. Nihilominus non Bellarminii, sed illa Sixti V opinio evasit improbanda. Atque ita porro exempla occurrunt, quae ostendant, in adversarii thesi admittenda distinctione uti vehementer oportere.

Ne autem adversarius quispiam mihi opponat, me velle *Innocentium XI* cum Honorio I aut cum Ioanne XXII etc. comparare, aut me probabilismum doctrinis dogmaticis ab Ecclesiae definitis similem facere: id quod ceteroqui manifestum est, expresse dico, non in tali aequiparatione vim eorum quae obieci consistere, sed in eo solo, quod sola aversatio, quam aliquis summus Pontifex contra aliquam doctrinam ostendat, non reddat eam doctrinam reprobandam.

Et haec quidem dicta sunt, atque valent, etiamsi graviorem aversionem unus alterve summus Pontifex contra probabilismum ostendisset, quam illa est aversio quae ex documentis eluceat. Multo autem magis vi sua destituetur argumentum adversariorum, si quae quantave fuerit ista aversatio perspexerimus.

Palmare documentum, adversariis fatentibus, est igitur decretum *Innocentii XI,* cuius una pars cum Thyrso Gonzalez S. J., professore Salmanticensi, altera pars cum I. P. Oliva, tum Praeposito generali Soc. Iesu, communicata est. Tenor eius authenticus, reiecto tenore apocrypho satis late sparso, ex archivo S. Officii extractum d. 19 April. 1902 publici iuris factus est. Est autem hic:

§ 14. Decretum Innocentii XI circa probabilismum.

Suprema Congregazione del S. Ufficio. Cancelleria.

Oggetto:

Comunicazione ufficiale del Decreto del S. Ufficio sul Probabilismo.

Roma, li 19 Aprile 1902.

Deferita a questa Suprema una istanza ... per avere comunicazione ufficiale del vero testo del Decreto del S. Ufficio sul Probabilismo, diretto al P. Thirso Gonzalez S. J., il sottoscritto Assessore ... si onora di trasmettere qui inchiusa copia autentica di detto decreto, con espressa dichiarazione che questo è *l' unico vero testo,* che per

Ex Cancellaria Supremae Congregationis S. Officii.

Materia:

Publica Decreti S. Officii de Probabilismo communicatio.

Romae, 19 Aprilis 1902.

Cum ad hanc Supremam Congregationem preces delatae sint, ut publice communicetur textus Decreti S. Officii de Probabilismo, Patri Thyrso Gonzalez S. J. dati, infrascriptus Assessor ... hisce literis authenticum eiusdem Decreti apographon adiungit, expresse declarans, hunc esse *unicum textum verum*[1], atque ideo omnes alios, qui quo-

[1] Ille textus cum minimis mutationibus nullius momenti iam saepius prodiit. Imprimis *Thyrsus Gonzalez* anno 1702 in libello supplici ad *Clementem XI* eum exhibet ut anno 1693 secum communicatum: „Iniungatur P. Generali Societatis Iesu de ordine Sanctitatis Suae, ut non modo permittat Patribus Societatis scribere pro opinione magis probabili et impugnare sententiam asserentium, quod in concursu minus probabilis opinionis cum probabiliori sic cognita et iudicata, licitum sit sequi minus probabilem; verum etiam notum faciat omnibus Universitatibus Societatis, mentem Sanctitatis Suae esse, ut quilibet, prout sibi libuerit, libere scribat pro opinione magis probabili et impugnet contrariam praedictam, eisque iubeat, ut mandato Sanctitatis Suae omnino se submittant“ (cf. *Brucker* in „Études“ LXXXVI 784).

conseguenza tutti gli altri, in qualunque modo e tempo pubblicati, debbono considerarsi come apocrifi, e che se qualcuno di questi ultimi rechi per avventura segni, anche non dubbi, di autenticità, deve ritenersi esser ciò avvenuto per mero equivoco . . .

Giambattista Lugari,
Assessore del S. O.

modocunque et quo demum cunque tempore publicati fuerint, pro apocryphis habendos esse. Et si quae forsitan unus ex illis signa etiam indubia authentiae prae se ferat, hoc mero errore accidisse existimandum est . . .

Ioann. B. Lugari,
S. Officii Assessor.

Feria 4ª, die 26 Iunii 1680.

„Facta relatione per Patrem Lauream contentorum in literis Patris Thyrsi Gonzalez Soc. Iesu SS^mo D. N. directis, Eminentissimi DD. dixerunt, quod scribatur per Secretarium Statûs Nuntio Apostolico Hispaniarum, ut significet dicto Patri Thyrso, quod Sanctitas Sua benigne acceptis, ac non sine laude perlectis eius literis, mandavit, ut ipse libere et intrepide praedicet, doceat, et calamo defendat opinionem magis probabilem, necnon viriliter impugnet sententiam eorum, qui asserunt, quod in concursu minus probabilis opinionis cum probabiliori sic cognita et iudicata, licitum sit sequi minus probabilem, eumque certum faciat, quod quidquid favore opinionis magis probabilis egerit et scripserit gratum erit Sanctitati Suae.

„Iniungatur Patri Generali Societatis Iesu de ordine Sanctitatis Suae, ut non modo permittat Patribus Societatis scribere pro opinione magis probabili et impugnare sententiam asserentium, quod in concursu minus probabilis opinionis cum probabiliori sic cognita et iu-

dicata, licitum sit sequi minus probabilem; verum etiam *scribat* omnibus Universitatibus Societatis, mentem Sanctitatis Suae esse, ut quilibet, prout sibi libuerit, libere scribat pro opinione magis probabili et impugnet contrariam praedictam; eisque iubeat ut mandato Sanctitatis Suae omnino se submittant."

„Die 8 Iulii 1680. Renunciato praedicto ordine Sanctitatis Suae Patri Generali Societatis Iesu per Assessorem, respondit, se in omnibus quanto citius pariturum, licet nec per ipsum, nec per suos Praecessores fuerit umquam interdictum scribere pro opinione magis probabili, eamque docere."

Testor ego, infrascriptus S. Officii Notarius, suprascriptum exemplar Decreti, editi feria IV die 26 Iunii 1680, fuisse depromptum ex actis originalibus eiusdem S. Congregationis, eisque, ut constat ex collatione de verbo ad verbum facta, ad amussim concordare.

Datum Romae ex aedibus S. O., die 21 Aprilis 1902.

Can. Mancini,
S. R. et U. I. Not.

§ 15. Quae ante decretum Thyrsus Gonzalez apud Innocentium XI egerit.

Quod decretum quo melius intelligatur, res gestae quae huius decreti ansam dederunt paucis referenda sunt.

In confesso est, circa medium saeculum decimum septimum non paucos fuisse theologos, qui probabilitatis conceptum detorquentes facilius statuerent opiniones esse probabiles atque ita in nimiam benignitatem laxasque sententias in rebus moralibus declinarent; huiusmodi benigniorum opinionum patronos ex qualibet schola exstitisse, non solum ex theologis Societatis Iesu, sed etiam ex familia Franciscanorum, Carmelitarum, immo

ex ordine Praedicatorum eos ipsos — id quod mirum videri possit — qui se probabiliorismum profiteri gloriabantur. Adeo enim diversa aliquando sunt ingenia humanaque iudicia, ut quod unus longe minus probabile vel improbabile esse iudicet, probabilius ab altero habeatur. Attamen per se patet, eos qui benigniora principia sectabantur, facilius et saepius etiam in eorum applicatione ad practicas conclusiones nimis benignas devenisse, quam qui principia statuerint severiora et rigorosa; atque id etiam facile intelligitur, opiniones nimis benignas, quae ex principiis etsi bonis et rectis at male intellectis deducebantur, ansam dedisse de ipsorum principiorum benignorum rectitudine dubitandi atque inhaerendi severioribus.

Inter quos constat fuisse *Thyrsum Gonzalez* e Soc. Iesu, qui cum per decem annos (1655—1665) scholasticam theologiam in Salmanticensi universitate docuisset, per alios decem vel undecim annos ministerium apostolicum in tradendis missionibus exercuit, postea primariam cathedram theologicam Salmanticensem ascendere iussus est. Sunt qui putant eum propter severiorem in confessionali agendi modum a munere missionarii revocatum et denuo ad docendi munus assumptum esse. Id certum est, eum tempore, quo missionarium egit, conscripsisse librum contra probabilismum, quem P. *I. Paulo Oliva,* tum Praeposito Generali Soc. Iesu, anno 1673 obtulit. Qui, cum quatuor librorum censores librum illum reprobarent, eum in lucem prodire non permisit. Thyrsus Gonzalez autem ab eo quod animo conceperat, non desistebat.

Cum enim paulo post *Innocentius XI* ad summum Pontificatum evectus esset et mox seriem propositionum libertati morum nimis faventium d. 2 Martii 1679 con-

demnasset, *Thyrsus Gonzalez* ad ipsum S. Pontificem literas dedit, quibus suum contra probabilismum studium exponit atque libellum suum, cui titulus „Principium theol. mor.“, ut Pontificiae censurae subicere liceat petit.

Seriem gestorum exhibeo ex ipso opusculo manuscripto, quod in archivo Societatis Iesu asservatum inscribitur „Tractatus historico-theologicus in quo Thyrsus Gonzalez, nunc Praepositus Societatis Iesu, ostendit, quid olim ex Hispania egerit apud S. Pontificem Innocentium XI fel. rec., ut cohiberetur opinionum probabilium abusus.“ Quod manuscriptum utique non est propria manu Thyrsi scriptum, at est aut ipsius autographi transcriptio aut ipsum illud scriptum, quod sub oculis Thyrsi Gonzalez eiusve iussu et approbatione est compositum.

Ibi p. 5 exhibentur: „Literae P. Thyrsi Gonzalez ad SS. D. N. Innocentium XI d. d. 29 Iulii 1679.“

„Ad sacros Sanctitatis Vestrae pedes in spiritu provolvor humilis Ecclesiae filius Thyrsus Gonzalez, quem ingenti perfudit gaudio Bulla, quam Sanctitas Vestra contra laxas opiniones expedivit. Ea quippe animum mihi adiecit, quod Sanctitatis Vestrae pedibus subicerem *principium,* quod si semel fidelium cordibus infigatur, opinionum abusum, spero, cohibebit; radici enim remedium adhibet, ne nova male olentium opinionum germina pullulent, aut ex non bene percepto principio pullulata noceant. Summa principii, quod cum hac Sanctitati Vestrae transmitto, est: Quod nemini ad praxim reducere licet opinionem minus tutam, quando oppositam tutiorem longe etiam probabiliorem esse evidenter cognoscit, saltem cum probabilitatis excessus notabilis est, et

ipsi operanti sensibilis. Principium hoc, etsi compendiario calamo hic exaratum, diuturno tamen studio et obstinata plurium annorum meditatione excogitatum est, ac multis mihi certis argumentis ad evidentiam usque comprobatum. Verum proprio iudicio minime fidens, cuicumque Sanctitas Vestra maluerit, examinandum libens volensque subicio.

„Ut autem Sanctitas Vestra noverit, quis haec scribat: Societatis Iesu professus sum, qui postquam decennium theologiam scholasticam in hac Salmanticensi Universitate publice docui, ad immediata animarum lucra forti misericordia a Deo vocatus, cathedrae sponte mea et cum Superiorum benedictione renuntiavi. Undecim iam annos, plerasque Hispaniae provincias peragrans in missionibus, magna animi voluptate transegeram, ad extremum usque spiritum in tam sacro munere quantum in me esset perseveraturus. Sed rem aliter disposuit Deus. Nam tribus abhinc annis vita functo viro illo genere et doctrina claro, Sanctitati Vestrae, ut opinor, non ignoto, P. Ioanne Barbiano Mediolanensi e Societate, Doctore theologo et in primaria huius Academiae cathedra ex regis assignatione magistro, a missionibus mox per Superiores meos sum revocatus, et praemissa sollemni de Universitatis more in publicum Doctorem et magistrum promotione, in eius locum suffectus. Sanctitatem Vestram ad magnae universalis Ecclesiae commodum, diu incolumem servet Deus etc.

„Salmanticae, d. 29 Iulii 1679.

Sanctitatis Vestrae

humillimus servus, obsequentissimus filius

Thyrsus Gonzalez."

Relatio ipsius Thyrsi Gonzalez porro conscripta habet haec:

„Opusculum hoc, quod transmisi ad suam Sanctitatem, erit forsan in secretaria status; eius copiam apud me habeo. Hic autem appendam indicem rationum, quibus nititur *illud principium* quod repraesentavi suae Sanctitati ad cohibendum opinionum probabilium abusum:

„§ 1. *Prima ratio:* Quia si in Ecclesia firmiter non stabiliatur, licitum non esse sequi opinionem minus tutam, quando opinio tutior est evidenter probabilior, non poterit praecidi perniciosa licentia laxandi conscientiam.

„§ 2. *Secunda ratio:* Quia illud principium praedicationem roborat, opposita autem probabilistarum doctrina eam exarmat et irritam reddit.

„§ 3. *Tertia ratio:* Quia illud principium ostium occludit innumeris Dei offensis, quibus illud aperit doctrina probabilistarum contraria.

„§ 4. *Ratio quarta:* Quia illud principium clare deducitur ex damnatione istius propositionis: ‚Generatim dum probabilitate, sive extrinseca sive intrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus‘ — quae est tertia propositio damnata a Vestra Sanctitate.

„§ 5. *Quinta ratio:* Quia, ubi sententia tutior apparet operanti evidenter probabilior authoritate et ratione, iam minus tuta non manet probabilis respectu illius.“

Ad quas literas Thyrso Gonzalez respondit d. 2 Sept. 1679 Cardinalis Cybo, secretarius status: literas esse benigne acceptas; remedium, quod probaverit, serio

examinatum iri; fore ut opusculum viro probato examinandum tradatur; de cetero S. Pontificem gaudere, quod scriptor adversus perniciosam opinionum laxitatem dimicet.

Verum Thyrsus Gonzalez de novo rem movit. Ipse in relatione, de qua supra, ulteriores suos conatus exponit sic sub titulo: „Aliud medium, quod Innocentio XI Pontifici Maximo repraesentavit anno 1680 Thyrsus Gonzalez, ut sensim minueretur authoritas probabilismi, et pauciores haberet paulatim sectatores“:

> Videlicet: „Medium quod statim subiciam, anno 1680 mense Maio Beatissimo Pontifici Innocentio XI e Salmantica repraesentavi: quoniam experientia cognoveram, quod multi tenaciter sequebantur probabilismum seu sententiam benignam de usu licito opinionis minus probabilis et minus tutae ex praeiudicio quodam et animi praeoccupatione, solum quia videbant, hunc esse sensum omnium fere doctorum huius saeculi, et credere non poterant, in re tanti momenti deceptos fuisse tot doctores, ac proinde quod illam doctrinam faventem carni et sanguini amplectabantur sine delectu et quin fundamenta solidissimae doctrinae contrariae numquam expendissent, et consequenter sequebantur, quia alii sequuntur, instar avium et ovium, quae turmatim eo tendunt, quo alias praeeuntes vident; ut enim aiebat Aristoteles 1. Metaph. cap. 1: ‚Auscultationes (seu: auditiones, ut alii legunt) secundum consuetudines accidunt: quemadmodum enim consuevimus, ita iudicamus dici debere, et quae praeter haec, non apparent similia, sed, quia non consuevimus, ignotiora et magis peregrina et extranea, aut etiam paradoxa: consuetum enim notius est. Quantam

vero vim consuetudo habeat, leges declarant, in quibus fabulosa et puerilia plus possunt propter consuetudinem, quam si cognosceremus ea.' Hactenus Aristoteles.

„Nec mirum, quod doctrina aliqua favorabilis carni et sanguini, ubi consueta fuerit, sectatores sine examine et discussione passim inveniat; nam etiam in peccatis manifestis consuetudinis vis haec obtinet: ut enim inquit Augustinus in Enchirid. c. 79: ‚Hinc accidit, ut peccata quamvis magna et horrenda, cum in consuetudinem venerint, aut parva aut nulla esse videantur, usque adeo ut non solum non occultanda, verum etiam praedicanda ac diffamanda esse videantur', et ideo, ut ponderat idem S. Doctor in Ps 35 expendens illa verba: *Dolose egit in conspectu eius (Dei), ut inveniatur iniquitas* etc., qui sectantur doctrinas laxas et perniciosas, quia vident alios multos eadem sequi, statim se excusant dicentes: *Quam multi hoc faciant?* et: *Quis hoc non fecit?* et: *Numquid omnes perditurus est Deus?*

„Videbant multis accidere, quod mihi accidit multis annis, in quibus sequebar probabilismum, solum quia alii sequebantur, et quia non applicueram mentem ad studium huius controversiae serium et profundum, sed solum perfunctorie haeseram in superficie controversiae. Quoniam vero ex quo pro dignitate rem examinavi et fundamenta antiprobabilistarum serio expendi, deprehendi illorum doctrinam solidioribus niti principiis, et verissimam existimavi; persuasum apud me habeo, id ipsum aliis eventurum, si huius controversiae examini mentem applicarent ex sincero studio inveniendi veritatem. Videbant de hac controversia adeo celebri et ita necessaria

ad salutem animarum, altum esse silentium in schola Salmanticensi et aliis Hispaniae universitatibus, nullumque magistrum hoc punctum in suis dictatis tractare; sed quaestiones pure metaphysicas, et plerumque logicas agitare, in quibus non alium fructum capere poterant auditores, quam exercitium ingenii. Non dubitabam fore ut in dies diminueretur plausus et sequacitas seu sequela (ut ita me explicem) probabilismi, si haec controversia ad limam scholasticam revocaretur, et in Academiis concertationibus publico examini subiceretur sententia probabilistarum, et eius fundamenta rigore scholastico examinarentur: sperabam enim fore ut vi argumentorum detegeretur ipsorum fallacia; et soliditas doctrinae contrariae appareret; et ideo hoc remedium proposui Romano Pontifici."

Pergit Thyrsus Gonzalez in referendis suis gestis, neque plane apparet, utrum quae sequuntur referantur ad ipsum illud „aliud medium", an ad *tertium* remedium et opusculum ante medium annum 1680 Innocentio XI oblatum. Reperiuntur enim haec:

„Opusculum directum ad Innocentium Pontificem Maximum a Patre Thyrso Ganzalez, in quo ostenditur expedire, ut Romanus Pontifex Bullam vel Breve expediat quo hortetur Pontifex professores theologiae, ut in scholis legant et in libris edendis doceant, *nemini licitum esse sequi sententiam minus tutam, nisi apud ipsum post diligentem veritatis inquisitionem sensibiliter et clare praeponderent fundamenta illius fundamentis sententiae contrariae....* Cum enim inter opinionem minus tutam *exigue probabilem* et *minus simpliciter probabilem* non detur magna distantia: sane cum iam S. Sedes damnavisset usum

opinionis minus tutae, quando est exigue probabilis, convenientissimum videbatur, ut hortaretur theologos ad docendum non esse licitum sequi opinionem minus tutam, quando absolute et simpliciter est minus probabilis quam sit opinio tutior. Hoc opusculum forsan etiam servatur in secretaria status: eius copiam apud me habeo" (Synopsin huius opusculi vide apud *Arendt,* De conciliationis tentamine app. 110).

„In iisdem literis" — subiungit Th. Gonzalez in sua relatione — „ad Innocentium XI exposui Suae Sanctitati, me a decem annis adlaborasse, ne illud principium adeo familiare inter scriptores huius saeculi fieret proprium Societatis, sicut sensim in praxi et in actu exercito videbam fieri, et in hunc sensum scripsisse saepe ad Provinciales et ad Praepositum Generalem, et repraesentasse incommoda, quae in Societatem et in Ecclesiam ipsam essent resultatura, si Societas sibi asciscerent et ut proprium assumeret illud principium: exposui tamen et testatus sum Suae Sanctitati, nec Provinciales, nec Praepositum Generalem iniunxisse umquam professoribus, ut in scholis dictarent vel in libris impressis vulgarent illam doctrinam de usu licito opinionis minus tutae: nihilominus tamen in actu exercito sensim illam doctrinam fieri propriam Societatis, dum quotidie prodibant libri cum approbatione Superiorum, qui illam doctrinam probabilistarum ex professo defendebant et hi cum plausu legebantur; nullus autem prodibat, qui cum facultate Superiorum illam doctrinam impugnaret; nec aliquis professorum audebat illam doctrinam impugnare et oppositam defendere, ne incurrerent offensionem Superiorum et ne notarentur tamquam homines novitatem amantes

et praesumptuosi, qui plus existimarent se scire, quam scivissent P. Suarez, P. Vasquez, P. Azor, P. Thomas Sanchez et fere reliqui omnes scriptores Societatis qui conspiraverant in illud principium etc. etc. . . .“

Reliqui legi possunt apud *Arendt* op. c. p. 111 sqq. Narrat Th. Gonzalez, se etiam retulisse Summo Pontifici, quid factum sit de libro quem ipse G. scripserit contra probabilismum, scil. se illum cum dedicatione Praeposito Generali facta Romam misisse anno 1673, ut ibi revisorum examini subiceretur; a quibus post diligens examen iudicatum esse: *„Non expedire, ut imprimeretur.“*

§ 16. Quomodo gesta Thyrsi Gonzalez iuvent ad intelligendum sensum decreti Innocentiani.

Cum haec igitur gesta essent inter Thyrsum Gonzalez S. J. professorem Salmanticensem et Innocentium S. P. mox mense Iunio seu paucis hebdomadis postea, exiit illud decretum Innocentianum seu S. Officii, quod partim ad nuntium Apostolicum Madritensem in causa libri ipsius Gonzalez dirigitur, partim I. Paulo Olivae, tum Praeposito Generali Soc. Iesu mandatum S. Pontificis defert.

Ad ipsum Thyrsum Gonzalez reperiuntur binae literae directae tum per secretarium status, tum per nuntium Madritensem. Prior, Cardinalis *Cybo,* die 7 Iulii — ergo paucis diebus post notissimum illud decretum latum — dat literas, quibus ne allusione quidem illius decreti facta, praeter communicationem Apostolicae benedictionis nihil scribit quod ullius sit momenti. Nuntius Madritensis, *C. Mellini,* die 7 Aug. Thyrso Gonzalez scribit, SS. Dominum mandasse, ut

ipsum hortaretur ad opus illud contra probabilismum quam primum absolvendum et perpoliendum.

Alteri decreti parti, quae spectat Praepositum Generalem Soc. Iesu, gesta modo narrata sane lucem aliquam affundunt eiusque sensum non obscure declarant.

Nimirum Innocentium XI favisse doctrinae antiprobabilisticae, in comperto est. Quid autem ex hoc facto et ex eius decreto contra probabilismum inde inferri possit, postea erit examinandum.

Hic sufficiat statuisse, quid Innoc. XI intellexerit, cum Thyrsum Gonzalez vi *illius decreti „certum faceret, quod, quidquid favore opinionis magis probabilis egerit et scripserit, gratum erit Sanctitati Suae“*, et cum Patri Gen. Soc. Iesu iniungendum iussit „ut . . . *permittat scribere pro opinione magis probabili* et impugnare liceitatem opinionum quae oppositae sint opinioni probabiliori sic cognitae et iudicatae“. Commercium illud inter S. Pontificem et Thyrsum Gonzalez evidens facit, fucum sibi facere, qui decretum illud ad aequiprobabilismum trahere velint. Illi trunculum decreti sumunt eumque absque conexione cum aliis decreti partibus et adiunctis interpretantur.

Thyrsus Gonzalez, ut ex modo dictis patet, in suis literis 1. exponit *doctrinam suam suosque conatus* contra probabilismum; 2. proponit *media* ad probabilismum debellandum, unum: concertationem scientificam inter probabilistas et antiprobabilistas; alterum: principium statuendum „nemini licere ad praxim reducere opinionem minus tutam, quando oppositam tutiorem etiam longe probabiliorem esse evidenter cognoscit“, vel potius „nemini licere sequi sententiam minus tutam, *nisi apud ipsum sensibiliter et clare praeponderent fundamenta illius fundamentis sententiae contrariae*“. — Decretum

Innocentianum *prima sua parte* favet doctrinae et conatibus Thyrsi Gonzalez: *„non sine laude perlectis eius literis,* mandavit, ut ipse libere et intrepide praedicet, doceat et calamo defendat opinionem magis probabilem . . . eumque certum faciat, quod, quidquid favore opinionis magis probabilis egerit et scripserit, gratum erit Sanctitati Suae" — ergo laudes et favores enuntiantur non erga doctrinam nescio cuius ignoti vel futuri scriptoris antiprobabilistici, sed erga doctrinam Thyrsi Gonzalez in literis ad Innocentium XI datis expressam. *Secunda parte* Decretum Innocentianum legenti se exhibet ut exsecutionem eorum, quae Th. Gonzalez pro remediis proposuerat. Nam adest 1. adhortatio quaedam ad defendenda illa principia, quae Gonzalez statuit; 2. apertior etiam suasio concertationis scientificae inter probabilismum et antiprobabilismum. Gonzalez principium illud „non licere cuipiam sequi opinionem, cuius oppositam cognoverit et iudicaverit probabiliorem" sic intellexit et alteris literis sic explicavit, ut excludatur non solum usus opinionis minus probabilis, sed etiam aequiprobabilis, siquidem opinionem minus tutam quam quis sequi possit, dicat debere esse *sensibiliter et clare probabiliorem.* Nonne igitur decretum Innocentianum ita debemus intelligere, ut „magis probabilem", pro qua defendenda vult ut libere scribatur, habeamus eam maiorem probabilitatem, quam illius temporis antiprobabilistae cum Gonzalez necessariam esse dicebant, ut opinionem minus tutam sequi liceret, i. e. rigidum probabiliorismum, non aequiprobabilismum?

„Scribere pro sententia magis probabili" *Thyrsus Gonzalez* non iis limitibus circumscripsit, ut hoc sit solummodo impugnare liceitatem opinionis minus probabilis certo cognitae, sed longe plus comprehendit,

videlicet „defendere magis probabilem“ ei idem erat atque „impugnare usum omnium opinionum benigniorum, quarum maior probabilitas non fuerit *certa et sensibiliter praeponderans*“. Num putamus, decretum *Innocentianum*, quod doctrina et suasionibus Thyrsi Gonzalez nitebatur, confudisse plane haec duo: impugnare minus probabilem sensu aequiprobabilistico et postulare magis probabilem? Nonne potius duo membra distincta agnoscere debemus, quando decretum permissionem postulat 1. impugnandi minus probabilem, 2. scribendi pro magis probabili? Sane ex se duo illa non dicunt idem. Nam qui defendit necessitatem sequendi opiniones magis probabiles, non sistit in impugnando usu opinionum minus probabilium, sed ultra progreditur. Aut si duo illa membra unum idemque dicere contendis, illam impugnationem opinionum minus probabilium eo sensu intelligere debes, quo Gonzalez intellexit, ita ut reiectio sententiae minus probabilis simul dicat necessitatem maioris probabilitatis seu probabiliorismi.

Ter Haar quidem scribit p. 41: „Sedulo monendus est lector, decretum, de quo agitur, neque unica syllaba opinionis *aeque aut fere aeque probabilis (dubie seu paulo minus probabilis)* mentionem facere, at solum intendere, ut opinio *certo minus probabilis* seu minus probabilis cognita et iudicata impugnetur; a. v. solus minusprobabilismus, minime vero aequiprobabilismus impetitur.“ Similia etiam *Wouters* 29.

Sed haec verba sunt, quae ipsam rem non recte describunt. Utique ne syllabam quidem unicam opinionis *aeque* aut *fere aeque* probabilis decretum Innocentianum continet; attamen qui probab*iliori* opinioni tamquam necessariae ad formandam conscientiam patrocinatur, eo ipso excludit opinionem aeque, magis etiam

fere aeque probabilem, etsi nullo modo eam nominet formaliter. Immo cum opinio *fere* aeque probabilis non sit aeque, sed minus probabilis, etsi paulo tantum minus probabilis: qui minus probabiles opiniones universim reicit et impugnari iubet, etiam impugnandas censet opiniones *fere aeque probabiles.*

Ergo plane abs re sunt, quae *Ter Haar* postea 112 dicit, quasi corrigens sententiam libellorum qui inscribuntur „Civiltà cattolica" monentium, decretum Innocentii XI probabiliorismo favisse. Ita scilicet habet: „Satis liquet, quo sensu heic adhibita vox ‚Probabiliorismi' de systemate, cui favorem ostenderit S. Sedes, intelligenda sit; intelligenda utique est sensu ipsius pontificii decreti. Hoc autem *alteram* tantum probabiliorismi thesin favore commendavit, quae nempe ad probabiliorem cognitam et iudicatam pro lege sequendam obligat — quo sensu ipse etiam S. Alphonsus saepius se ‚probabilioristam' vocavit — haud vero *priorem* thesin, quae etiam in aequali dubio legem implendam esse dicit." Nimirum decretum Innocentianum laude atque favore prosequitur „quidquid *favore opinionis magis probabilis egerit et scripserit*" Thyrsus Gonzalez. Haec laus et commendatio Thyrso Gonzalez exhibetur, cum S. Pontifici exposuisset suam doctrinam, secundum quam „nemini liceat sequi sententiam minus tutam, nisi post diligentem veritatis inquisitionem sensibiliter et clare praeponderent fundamenta illius fundamentis sententiae contrariae". Hanc doctrinam qui laudat et fovet, aequiprobabilismo num favet an adversatur?

Si igitur decretum Innocentii XI probat, probabilismum esse reiciendum, etiam aequiprobabilismum reiciendum esse probat.

§ 17. Tenor et natura decreti ostendunt nihil contra probabilismum inde confici posse.

Re ipsa autem nullum solidum argumentum contra probabilismum ex decreto illo conficitur. Quod palam fit, si 1. tenorem decreti, 2. naturam decreti, 3. vim ab Ecclesia decreto attributam expendimus.

Tenorem decreti condemnationem probabilismi non continere adversarii fatentur; nihilominus volunt eum adeo improbatum esse, ut a formali condemnatione non multum distet. Neque id vero consonat. Summus Pontifex vult, ut Patribus Societatis Iesu plena sit *libertas* propugnandi probabiliorismi, probabilismi impugnandi, ut, *prout cuilibet libuerit,* systema morale exponat. Si quis monetur, ut prout ei libuerit, aliquid faciat, id certe illi non iniungitur, contrarium non prohibetur, immo contrarium aperte ei plane permittitur; ergo etiam hoc decreto probabilismum docere cuilibet plane permittitur. At S. Sedes, quomodo potuerit adeo sollemniter probabilismum permittere, si S. Sedis iudicio fuerit condemnationi proximus?

Si adversariis credendum est, S. Sedes probabilismum consideravit ut fontem laxitatis et morum corruptionis: at qui fieri potuit, ut doctrinae adeo corruptrici permitteret, ut in campum cum altero systemate descenderet, de victoria concertatura? Qui igitur illo decreto aliquid adversus probabilismum decerni contendit, aperte ultra decreti tenorem vagatur atque aliunde id quod vult eruere debet.

Sed quam inefficaciter ex decreto Innocentiano eruatur probabilismum secundum mentem Ecclesiae esse reiciendum, magis etiam apparet, si spectas *naturam* illius decreti. Decreta S. Officii, ut notum est, sunt diversi

generis diversaeque auctoritatis. Secundum ius hodiernum (cf. *Wernz,* Ius decretalium II n. 658 et *Laurentius,* Institutiones iuris eccles. n. 148) post consultationem consultorum circa certam rem propositam haec ipsa res in congregatione Cardinalium, quae singulis feriis IV haberi solet, discutitur atque per vota Cardinalium definitur: quae definitio sequenti fer. V per Assessorem S. Officii in audientia S. Pontifici refertur ab eoque plerumque in forma communi approbatur, raro reicitur vel emendatur. In gravissimis causis post congregationem Cardinalium fer. IV habitam nova congregatio fer. V coram S. Pontifice habetur, in qua causa denuo discutiatur et definiatur: quae decisio, si a Pontifice in forma specifica approbatur, solet ut decretum generale vel Constitutio Apostolica promulgari, habetque in re doctrinali, si pro universa Ecclesia promulgatur, auctoritatem infallibilem. Dixi: in re doctrinali; nam non omnes decisiones doctrinales sunt, ferri enim possunt decisiones disciplinares, possunt porro decisiones sive doctrinales sive disciplinares aut universales esse aut particulares. Tempore quidem Innocentii XI hic ordo procedendi nondum ita erat definitus. Quoad rem ipsa eadem erat distinctio inter decisiones seu decreta doctrinalia et disciplinaria, decreta generalia et particularia, in forma communi et in forma specifica a S. Pontifice confirmata.

Haec ante oculos habenda sunt, ut vis alicuius decreti intelligatur, cum in solis decretis universalibus et doctrinalibus, neque in iis semper, Ecclesiae auctoritas summa se prodat.

Verum si, his ante oculos positis, convertimur ad decretum Innocentii XI de probabilismo, eius vis valde diminuitur. Aperte enim constat, agi de decreto vel

mandato plane particulari, cuius altera pars ad solum Thyrsum Gonzalez dirigitur, altera pars iubet mandatum orale ad solum Praepositum Generalem Societatis Iesu deferre et mediante Generali ad professores scholarum ipsi subditos. Longissime igitur abest quaecumque obligandi vis universalis. Praeterea decretum illud nullatenus doctrinale vocari potest, sed mere est disciplinare. Quod ex sese legenti se prodit, cum nulla in decreto contineatur doctrinae cuiuspiam definitio, sed sola certa docendi libertas asseratur omnibusque vindicetur. Quae S. Alphonso, cum primum illud decretum ipsi obiceretur, evidentia erant. Nam Patuzzi, acerrimus S. Alphonsi adversarius, ei obiecerat decretum Innocentii XI, quo ostenderet, Alphonsianum sentiendi modum probabilisticum ab Ecclesia esse reiectum; erat autem decretum in forma apocrypha, quae sane longe magis probabilismo est infesta, qua, si genuina esset, inhibuisset S. Pontifex, quominus aliquis in favorem sententiae minus probabilis amplius scriberet. Ad cuius decreti formam, si vera sit decreti forma, S. Alphonsus secundum *Vindic. Alphons.* 59 respondet: „Si autem S. Pontifex iussit Iesuitas non amplius scribere pro sententia minus probabili[1], id iniunctum est solis Iesui-

[1] Tenor decreti, quem *Patuzzi* obiecerat, et quem etiamnunc ante publicationem decreti genuini P. *Mandonnet O. Pr.* Patri Brucker S. J. obiecerat est ille: „Iniungendum Patri Generali Societatis Iesu de ordine Sanctitatis Suae, ne ullo modo permittat Patribus Societatis Iesu scribere pro opinione minus probabili et impugnare sententiam asserentium, licitum non esse opinionem minus probabilem in occursu probabilioris sic cognitae et iudicatae; verum etiam relate ad omnes Universitates Societatis Iesu mentem Sanctitatis Suae esse, ut quilibet pro suo libitu libere scribat pro opinione magis probabili et impugnet contrariam praedictam, eisque iubeat, ut mandatis Sanctitatis Suae omnino se submittant."

tis, idque forte propter rationes quas tum temporis S. Pontifex habuit particulares.“ Quod manifeste dicit, alios nullatenus impediri quominus pro sententia minus probabili scriberent. Verum qui ita dicit, non potuit non habere decretum illud pro disciplinari. Nam si *doctrinali* decreto prohibetur aliqua doctrina, hoc decretum propter rem subiectam universale est atque omnes qui eius notitiam habuerint obligat; neque S. Alphonsus tam levi negotio sese ab eius decreti obligatione expedivisset. Ergo naturam decreti male intellexit *Ter Haar,* cum scribat (l. c. 124), per illud opinioni probabiliori pro lege exsistenti *„sollemne et authenticum supremae auctoritatis Ecclesiae testimonium* favoris“ datum esse, atque ex decreto tantopere particulari, ex temporum circumstantiis — ut S. Alphonsus testis est — lato, male deducit universalem doctrinae probabilismi reiectionem.

Quod magis etiam confirmatur, si respicimus exiguam vim, quam ipsa Ecclesia illi decreto attribuerit.

§ 18. Quae post decretum Innocentii XI acta sunt, ostendunt vim decreti tantam non esse, ut argumentum contra probabilismum ex eo ductum valeat. — Oliva contra incriminationes defenditur.

Decretum Innocentii, cum primum latum esset, adeo delituit, ut post plura decennia ipsi Cardinales ad Congregationem S. Officii pertinentes mirabundi cognoverint, illud decretum esse latum. Immo postquam annis 1693 et 1702 ad notitiam venerat, brevi denuo eius tenor ita oblivioni datus est, ut exemplaria apocrypha atque essentialiter vitiata pro authenticis divulgari potuerint; numquam autem eius vis ac obligatio universalis ab Ecclesia urgebatur. Anno demum 1902 post amplius duobus

saeculis textus authenticus est erutus, neque tamen quispiam obligationem ullam ex eo repetere ausus est, constanti praxi RR. Pontificum contrarium demonstrante. Quae ita esse, brevis rerum gestarum enarratio docebit.

Oliva, cum per Assessorem S. Officii mandatum S. Pontificis accepisset, se in omnibus quanto citius pariturum respondit, licet nec per ipsum, nec per suos praedecessores fuerit umquam interdictum scribere pro opinione magis probabili eamque docere.

Verum cum secum perpenderet, literas circulares, si quas daret ipsissimis verbis decreto illo sibi intimatis, odium creaturas Societati atque calumnias contra eam sparsas novum inde sumpturas esse fomentum, libellum supplicem composuit ad S. Officium directum, quo seriem gestorum exponit, quibus ab exordiis Societatis usque ad ea tempora Superiores semper spectassent, ut in re morali ab omnibus alumnis solida et probata doctrina traderetur, exclusis opinionibus laxis et exoticis. Quodsi interdum aliqui, novarum rerum cupidi, laxiores opiniones protulissent neque limites iustae moderationis servassent, eos spectato numero aliorum paucos fuisse et esse, eosque non sine reprehensione aliorum scriptorum ex eadem Societate mansisse. Rogat igitur S. Officium, ut liceret sibi mandato sibi imposito ita satisfacere, ut generatim omnes moneret de cavendis doctrinis nimis benignis atque defendendis iis in re morali sententiis, quae solidioris et securioris essent doctrinae, exclusa doctrinae tum severitate, tum largitate nimia.

Literas circulares ad omnes provincias mittendas libello supplici adiunxit hoc tenore:

„Cum sinceritatem doctrinae sive ad fidem sive ad mores pertinentis indefesso studio coluerit hucusque Societas: ausa nuper est nihilominus aditum

contra nos tentare calumnia, et conspirante fortasse nonnullius ex domesticis imprudentia vel imperitia, nos apud supremum Ecclesiae tribunal reos agere, quasi compluribus in academiis morum scientiam profiteamur omnino degenerem, et relicto plerumque regio tramite pro sententiis magis probabilibus ac tutis, alias venditemus periculi plenas, nec minus auctorum numero quam argumentorum pondere destitutas. Id quam immerito iactaverint adversarii, promptum nobis fuit ostendere productisque praeter leges S. Patris Ignatii, ut ita dicam primigenias, Congregationum quoque generalium decretis et literis decessorum meorum meisque ipsis, numquam interrupta serie continuatis, unicum sub aspectum ponere sensum Societatis universae atque conatum, quo satis refellantur obtrectatorum mendacia, tam famae nostrae insultantium quam veritati. Monet nos tamen haec ipsa maligni rumoris aura, praecludere quaerimoniis viam, et exquisitiore in dies delectu opinionum moralium, eam *solidioris et securioris doctrinae laudem,* quam ab initio amplexa est Societas et mordicus deinde retinuit, etiam ad posteros propagare. Sic procul ab invidia seu laxitatis noxiae seu novitatis periculosae, scopum assequemur a S. Legislatore nobis in docendo propositum, qui fuit: *Proximos ad cognitionem et amorem Dei et salutem animarum iuvare.* Quare moralis cathedrae ubique professoribus et praesertim in quacumque Universitate serio mandamus (ut meo pariter nomine Reverentia Vestra omnibus et singulis intra istam provinciam commendabit) eorum quae in hunc finem decrevere simul cum Congregationibus generalibus decessores mei, quaeque ipse toties addidi,

exsecutionem. Quam si negligere quispiam compertus fuit, ac disciplinae christianae rigorem doctrinis mollioribus labefactare, illum a docendi munere statim removeant Provinciales pro tempore, quorum in re tanti momenti conscientiam oneramus. Non ideo tamen cogimur in quacumque controversia benigniores respuere sententias. Immo e contrariis interdum aliquae ceteroquin admodum probatae ne proferantur a magistris in Societate, nec a moderatoribus permittantur, persuadet recta ratio et religiosa prudentia. Displicet igitur nimia in iure divino humanoque interpretando indulgentia; moderatio iusta non displicet. Non enim duritiem, sed soliditatem exigimus doctrinae, per quam denique, ut S. Augustinus monuit, *non solum veritas sed etiam charitas exhibeatur a nobis.*"

S. Officium vel S. Sedes, cum post acceptos hos libellos aliam formam literarum circularium per Praepositum Generalem Societatis Iesu dandarum non urgeret, tacite censuit, per propositam istam formam decreto Innocentiano satisfactum esse.

Idque eo magis concludere fas est, si animadvertimus, Thyrsum Gonzalez, mandati ad Olivam dati inscium, novas ad S. Pontificem dedisse literas, quibus S. Sedem rogat, ut Generalem compellat ad acriores literas circulares dandas, neque tamen quidquam a S. Sede amplius esse actum. Videlicet d. 25 Dec. 1681 Thyrsus Gonzalez — ut ipse narrat — scripsit aliam epistulam ad Innocentium XI, qua causam probabilismi denuo exponere conatur, causans, probabilismum sequi neminem posse sine peccato; nam cum antiprobabilismus sit saltem evidenter probabilis, probabilismum sequi esse errorem voluntarium et peccaminosum. (Recentium igitur

antiprobabilistarum argumentum, quo probabilistas confici posse putant, non est recens sed antiquatum, iam a S. Alphonso contra rigoristas solutum.) Conclusionem tamen miram inde deducit: „ut igitur *detur* **libertas** ad eum impugnandum", ac si systema peccaminosum pro libitu liceat vel impugnare vel defendere. Dein pergit:

„Precor Vestram Sanctitatem, ut compellat Generalem, ut circa hoc scribat ad provincias, nec excusationem Vestra Sanctitas admittat. Modus efficacior erit iniungere Generali, ut praecipiat cathedraticis Salmanticae, Compluti et Vallisoleti, ut in scholis dictent de hac controversia; et illis significet, sibi gratum fore, ut sequantur doctrinam oppositam probabilistis, si post diligens studium magis fundatam esse deprehenderint, et quod etiam typis mandent, ut hoc pacto detur satisfactio publica mundo, quod Societas sibi ut propriam non adsciverit sententiam probabilistarum" (Relatio cit. 43).

Ad quas literas responsum exstat a Card. Cybo secretario status d. 27 Apr. 1682 datum:

„Pluribus collaudavit Sanctitas Sua constans propositum tuum respondendi nonnullis auctoribus circa doctrinam probabilitatis. Supersedetur, sicut desideras, publicationi voluminis de hoc argumento a te conscripti, donec absolveris additionem, qua contrariam Terilli sententiam impugnas. Eam si E. C. Melino tradideris huc transmittendam, omnia diligenter examinabuntur, et quid fieri expediat, decernetur ad omnipotentis Dei gloriam etc."

Ergo altum silentium est de novo mandato Patri Generali iniungendo. Neque nunc neque postea quidquam aliud Innocentius XI iniungere voluit vel ausus

est, nisi ut *disputandi libertas* detur inter probabilismum et probabiliorismum.

Quibus consideratis, mirandum quidem non est, quod Societatis Iesu inimici, ut Döllinger-Reusch, P. Olivam pure et nude inoboedientiae accusent, idque eo minus, cum pro authentico textu decreti Innocentii eum haberent, secundum quem Oliva iussus esset non permittere, ut quispiam ex Iesuitis scriberet in favorem opinionis minus probabilis. Mirandum autem est, quod etiam Ter Haar non propriae quidem inoboedientiae, attamen defectus in oboediendo Patrem Olivam incuset, virum illum tam notae prudentiae, ut omnis generis homines ad eum consulendum confugerent, et tantae famae sanctitatis, ut statim post eius mortem probationes heroicarum eius virtutum collectae sint, quae — sicut in archivis Societatis Iesu exstant — iustum volumen compleverunt.

„Ut nobis videtur," — *Ter Haar* ait 86 sq sui libelli — „caeca illa perfectaque oboedientia postulasset, ut Oliva, ubi primum suam rationem agendi a S. Inquisitione improbari cognovit, quantumvis probabilistice ipse sentiret, mandato S. Sedis simpliciter obtemperasset, propriosque subditos expressa illa concessa facultate ad hoc adduxisset, ut iuxta votum Pontificis etiam opinionem minus probabilem cognitam impugnarent. Haec caeca erga supremam Ecclesiae auctoritatem oboedientia sine dubio, praecipue in tempora futura, maximas a suo Ordine avertisset calamitates."

Quibus verbis clarissimus adversarius complura insinuat quae probanda potius quam sine rationibus probantibus sumenda sunt.

Nam 1. sumitur, decretum Innocentii XI ortum duxisse ex eo quod Oliva in munere suo agendi rationem te-

nuerit quae Summo Pontifici fuerit infensa; propterea Pontificem per S. Officium voluisse eum monere de mutanda hac ratione. Num, quaeso, ex ipso decreto id elucet, agendi rationem Praepositi Generalis decreto anteriorem eam esse, quae ipsi crimini verteretur? Si ita, Oliva rectissime egit post decretum, ostendendo, si quid sibi crimini verteretur, decretum niti in falsa suppositione facti. Id enim sibi et successoribus debuit, ut falsam accusationem, quasi Superiores Ordinis laxas doctrinas suorum subditorum favissent, repelleret.

Ergo in hac suppositione accusatio defectus in oboedientia praestanda omni fundamento caret: haec enim non prohibet, quominus officium impleatur defendendae famae falso impetitae.

At clarissimo adversario videtur Oliva nequaquam erronee in suspicionem venisse, quasi benignioribus opinionibus defendendis fautor, defendendis probabilioribus adversarius fuerit, atque S. Officium hanc Praepositi Generalis agendi modum voluisse in eo notare et castigare. Nam quod Oliva scripserit, neque a se neque a suis decessoribus umquam vetitum fuisse, quominus quis *probabiliorem* opinionem voce aut calamo defenderet, id quidem, ait *Ter Haar* 47, „eatenus verum est, ut neque Oliva neque ullus ex eius in munere decessoribus *generali* edicto prohibuerint minus probabilem impugnare, defendere probabiliorem. Privatis vero Societatis theologis, ut patribus Elizalde et Gonzalez, ipse Oliva veniam praefracte negaverat contra probabilismum publice scribendi; idque Sacram Inquisitionem nequaquam latuit“. Proin addit: „Nemo sane mirabitur, hoc Pontificis mandato Praepositi Generalis oboedientiam duro certamini expositam fuisse. Id enim, in hisce

rerum temporumque adiunctis editum, Olivae hactenus agendi rationem aperte improbabat."

Respondeo, si vera sunt, quae *Ter Haar* scribit, Oliva mentitus est Pontifici et Sacro Officio. Oliva audacter dicit, se neminem vetuisse, quominus probabiliorem opinionem calamo defenderet — quod fieri nequit nisi scribendo contra probabilismum. Ter Haar dicit, Olivam praefracte negasse Thyrso Gonzalez et Michaeli Elizalde veniam publice scribendi contra probabilismum. Unde hanc accusationem probat? Num exhibuit ullum praeceptum Patribus illis datum nihil scribendi seu edendi contra probabilismum? Nihil profert neque proferre potest nisi factum illud, quo constat, Olivam noluisse approbare neque edi permittere librum Thyrsi Gonzalez, qui a revisoribus unanimi suffragio reprobatus erat. Ergo, si placet dicere, vetuit ne ederetur liber, qui *tali modo* scriptus erat contra probabilismum, ut liber Thyrsi Gonzalez; id plane concedo. Nimirum tali modo conscriptus erat, ut de eo, cum demum post complura mollita et reformata in lucem editus esset, S. Alphonsus iudicet, „se nescire, quomodo excusari possit a propositione damnata, quae dicebat: non licet sequi opinionem inter probabiles probabilissimam". Qui ne tali modo contra probabilismum scribatur vetat, num simpliciter vetat, ne quis scribat contra probabilismum? Ita concludere primae regulae logicae vetant. Similiter dicendum est de opere ab Elizalde conscripto, qui in modo scribendi plane immoderatus erat. Ergo mendacii accusatio contra Olivam evincitur esse falsa. Sed revertamur ad oboedientiam eiusve defectum.

2. Cl. adversarius sumit, calamitates tum temporis futuras, quas Societas Iesu passa est, ex eius laxa

doctrina in re morali ortas esse; neque alias videtur spectare posse calamitates, nisi ipsius Ordinis suppressionem post saeculum fere per Clementem XIV factam. Quae maxime ad invidiam dicta sunt. Nam has falsas esse calumnias, quibus inimici Ecclesiae tegebant studia longe diversa, sola illa Clementis XIII Constitutio „Apostolicum pascendi“ qua S. Pontifex d. 7 Ian. 1764 praeclarum testimonium dedit Societati Iesu per iniuriam infestatae — ut alia taceam — luculenter ostendit. At si per summam iniuriam atque falsas accusationes res demum eo devenit, ut ordo religiosus supprimeretur, num Olivae, Praeposito Generali saeculo anteriore regnanti, vitio verti potest, quod eam cladem non praeviderit vel non averterit? Immo strenue eam oppetere, ab Ecclesiae hostibus persecutionem et calumnias pati iisque opprimi, Christi militibus gloriae est, non dedecori.

3. Adversarius noster sumit, defectum oboedientiae committi ab eo qui Superiori iubenti causas excusantes proponat. Qui falsus concipiendi modus eum induxit, ut durum certamen fingeret, quod Oliva in exercenda oboedientia subire debuisset, at non subiisset victor. Si quis est, qui in religiosa oboedientia eiusque perfectione instituere possit, est sane S. Ignatius de Loyola. Qui in aurea sua epistula *„de virtute oboedientiae“* ad perfectam quidem oboedientiam requirit subiectionem et voluntatis et iudicii, ut subditus „non solum idem velit, sed etiam ut idem sentiat, quod Superior, eiusque iudicio subiciat suum, quoad potest devota voluntas intelligentiam inflectere“. Nihilominus ipse ille Sanctus ne levissimum quidem defectum incurrere eum censet, qui rationes forte contrarias sibi orituras Superiori exponat. „Non tamen“, ait, „idcirco vetamini, si quid

forte vobis occurrat a Superioris sententia diversum, idque vobis, consulto suppliciter Domino, exponendum videatur, quominus id ad Superiorem referre possitis. Verum in hac re, ne vos amor vestri iudiciumque decipiat, illa cautio est adhibenda, ut animo sitis et ante et post relationem aequissimo, non solum quod pertinet ad eam rem, de qua agitur, vel suscipiendam vel deponendam, sed etiam ad approbandum rectiusque putandum, quidquid Superiori placuerit."

Hanc regulam Oliva si tenuerit, non solum non de laesa oboedientia, sed ne de perfectione quidem oboedientiae ullatenus laesa quidquam timere debuit. Verum eum illam regulam violasse, frustra quaeres. Num adversarius ostendere potest, Olivam temere seu „non consulto Deo in oratione" mandato Pontificis aliquid obiecisse? Num ostendere potest, eum se subiecturum non fuisse neque approbaturum si quod post supplices literas ad S. Officium datas circa rem iniunctam sibi minus gratum responsum esset? De quibus solus Deus, scrutator cordium, iudex est. Interea temerarium iudicium contra Olivam fert, qui hos defectus ei impingit. Recursus autem externus ad S. Officium, de quo solo hominibus constat, nullam praebet rationem eum laesae perfectionis oboedientiae incusandi.

Et re vera, si quando S. Pontifex universalem condat legem in re gravissima, Praesul autem alicuius particularis ecclesiae seu regionis eam suo loco non convenientem sed nocivam iudicet: licebit sane Praesuli rationes suas supremo Pastori proponere, immo interim, donec de novo S. Pontifex legem urgeat, eam suspendere, ut cum aliis theologis ipse *Benedictus XIV* auctor est (De syn. dioec. l. 9, c. 8, n. 3); neque timendum est, ut oboedientiae vel laesae vel imperfecte observatae

incusetur. Quodsi in re gravissima et universali ita agere liceat, cur in re longe minore et in mandato particulari seu personali idem facere reprehensione dignum censeatur? Si autem reprehensione dignum non habetur, longe iniustius Oliva reprehensione dignus habetur, qui non ut mandatum retraheretur petiit, sed ut sibi liceat rem quidem mandatam exsequi at modum exsequendi paulum mutare.

S. Officium autem, literis Olivae receptis et lectis, mandatum antea latum eiusque modum non amplius urgebat atque tacite contentum se declarabat eo modo quem Oliva proposuit atque mox exsecutus est.

Verum hae res gestae Patrem *Ter Haar* non retraxerunt, quominus contra Olivam accusationem imperfectae oboedientiae sustineret. Scribit enim p. 86: „Sane perfectae oboedientiae adversum non est, Superiori impedimenta, quae ignorat et quae mandati exsecutioni obstant, detegere, quando existimandum est, Superiorem mandatum non dedisse, si impedimenta cognovisset. Quodsi vero Superior impedimentis cognitis mandatum, ut prudentia saepe postulat, non renovat quidem, sed tamen neque revocat, mandati intermissio ad summum a formali inoboedientia poterit excusari."

Miror eximii viri zelum ea congerendi, quae Olivam macula aspergunt. Ergone literae, quas Oliva supplices dedit ad S. Officium, nihil docuerunt sacrum Tribunal quod antea nondum cognoverat, nihil exposuerunt nisi quod sacrum Tribunal non iam antea plene expenderat? Ergone insuper constat, sacrum Tribunal aegre tacuisse, idque non quod illo modo, quo Oliva literas ad suos subditos dederat, sibi satisfactum esse duceret, sed quia prudentia consuluit totam causam silentio premere,

ne urgendo mandatum illud, cui Praepositus Generalis Societatis Iesu sese opponere videbatur, res peior evaderet? Sed unde hanc intimam eorum, quae in mente sive Summi Pontificis sive Cardinalium Congregationis S. Officii gerebantur, cognitionem adversarius hausit? Quodsi gratis asseruntur, gratis negantur, eaque ad invidiam et odium Olivae dicta esse quilibet cordatus lector facile sibi persuadebit.

Si adversariis credendum est, Sancta Sedes sacrumque Officium nihil antiquius habuerunt, quam ut secundum formam originariam mandati ad Olivam dati suscitarent quam plurimos probabilismi impugnatores, defensores probabiliorismi — vel, ut vult Ter Haar, aequiprobabilismi. — Quantopere re vera id iis cordi erat, ex eo palam fit, quod decretum Innocentianum quoad eam quae Praepositum Generalem Societatis Iesu atque eius literas circulares in hac re dandas spectat partem, postquam Oliva illud suo modo a S. Officii Congregatione tacite approbato exsecutus esset, plane sepultum iacuit, plenae oblivioni datum, nec quisquam ne summis quidem digitis tetigit, dum post tredecim annos secundo post Innocentium XI pontificatu fortuito ex tabulariis erueretur atque Thyrso Gonzalez tum Praeposito Generali Societatis Iesu communicaretur. Hoc certe accidere non solet in re, quam S. Sedes sustinet et urget. Quapropter ipsius decreti historia confirmatur, per formam, qua usus est Oliva, decreto satisfactum esse: quo denuo fit, ut Sancta Sedes non tantam vim in originario tenore Innocentiani decreti posuerit, atque valde infirmum sit argumentum quod inde contra probabilismum ducere conantur.

§ 19. Num gesta aliorum Pontificum quidquam probent contra probabilismum.

Quoniam autem ex decreto Innocentiano adversarii potissimum se sumere argumentum fatentur, quo auctoritatem Ecclesiae contra probabilismum obiciunt: tacite concedunt, ex aliis a Sancta Sede gestis argumenta etiam infirmiora tantum peti posse. Percurramus singula, quae *Wouters* 17 sqq sui libelli enumerat et quae ex *Ter Haar* 81 et 113 compleri possunt:

1° profertur *Alexander VII* atque decretum S. Officii d. 24 Sept. 1665 eius iussu editum, quo 65 sententiae laxiores damnatae fuerint. Conqueritur S. Pontifex, quod „illa summa luxurantium licentia in dies magis excreverit, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omnino ab evangelica simplicitate et sanctorum Patrum doctrina, et quam si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens irreptura esset christianae vitae corruptela".

Re vera, oculis suis lector vix credat, si legat apud adversarium, his verbis S. Pontificis esse probabilismum reiectum, ipsumque probabilismum dici a Pontifice „modum opinandi alienum omnino ab evangelica simplicitate et sanctorum Patrum doctrina" (cf. *Wouters* 83). Nam de systemate probabilismi S. Pontifex ne verbulum quidem habet. Damnatur sat magnus numerus sententiarum. Quibus damnatis ut probabilismus contineretur, necesse esset demonstrare has theses esse theses quas probabilismus vi sui systematis deberet sustinere, i. e. theses solide probabilibus rationibus suffultas. Labor sane difficilis, istas theses laxas et improbabiles solidis gravibusque rationibus niti de-

monstrare — fere non minus difficilis, quam monstrare circulum quadratum.

Neque iuvat adversarium, si auxilium quaerit ex narratiuncula illa intentae a S. Pontifice damnationis, scil. statuisse Alexandrum VII apud se condemnare ipsum probabilismum idque eum facturum fuisse, nisi Cardinalis Pallavicini suasisset, ut res differetur ac maturiori subiceretur deliberationi. Quis enim umquam ex conditionate futuris ad facta concludit? Quae Summi Pontifices ut Pontifices fecerunt, non quae fecissent vel facturi fuissent, vim legis habent. Alexander VII certe non edidit Constitutionem qua probabilismus condemnaretur; immo ne iussit quidem eam componi. Sed quamdiu Constitutio non est facta neque promulgata, eiusmodi voluntates vel velleitates S. Pontificis ne tantillum quidem contra probabilismum probant. Conamina quaecumque, nisi ad exitum deducta fuerint, maius pondus non habent nisi cuiuslibet privati et docti viri auctoritas. Ex eo autem quod inter viros doctos fuerint et sint probabilismo adversarii, certe non sequitur, eum esse reiciendum.

Hinc iam a limine repellendum est, quasi quidquam probaret contra probabilismum id quod 2° a clarissimo *Wouters* affertur, scil. *Alexandrum VII* suasisse *Michaeli Elizalde*, Iesuitae Hispano, eumque exhortatum esse, ut probabilismum scripto impugnaret. Haec enim summum privata Pontificis studia neque S. Sedis animum hostilem contra probabilismum ostendunt. Immo etsi velis illa studia publica studia Pontificis ex munere agentis esse: quoties Summi Pontifices diversarum scholarum certamina fovebant, promovebant! Neque tamen inde unius vel alterius scholae doctrinas a S. Sede reprobatas esse dixeris; alioquin easdem doctrinas haberes approbatas et reiectas.

3° et 4° provocatur ad gesta *Innocentii XI,* nimirum praeter notum illud decretum anni 1680 efferuntur conatus S. Pontificis, ut anno 1687, cum de novo Praeposito Generali eligendo Societatis Iesu Congregatio generalis agere deberet, ipse Thyrsus Gonzalez eligeretur. Conatus autem illi qui re ipsa Thyrsum Gonzalez Praepositum Generalem effecerunt, ipso aperte declarante Pontifice, eum finem habebant, ut scholae et scriptores Societatis retraherentur a doctrina probabilismi, ad probabiliorismum profitendum inducerentur. Insuper S. Pontifex effecit, ut per Thyrsum Gonzalez institueretur professor theologiae moralis in collegio Romano qui probabiliorismum defenderet.

Respondeo haec omnia vera esse, atque sine ullo dubio Innocentium XI in severiorem opinandi modum inclinasse. Verum quam parum inde deduci possit *contra* probabilismum, supra ostensum est. Efficaciora media ipse Innocentius XI adhibere noluit, apertam libertatem docendi et scribendi sive probabilismo favorabilia sive adversa omnibus servari voluit. Verum *eius,* qui ita pro summa sua potestate agit, *auctoritatem pontificiam* probabilismo adversam esse, nemo prudens dixerit. Ita enim agendo Pontifex, utut personaliter cupiat probabiliorismi victoriam, non audet eam pronuntiare, sed timet potius ne privato iudicio ipse fallatur; multo minus probabilismi systema pro fonte vitiato atque morum corruptrice habet; alioquin libertatem eum propugnandi suprema sua auctoritate concedere salva conscientia non posset. *Libertatem* autem docendi probabilismi et defendendi Innocentium etiam anno 1687 et deinceps concessisse, testis est illa ipsa Congregatio generalis Societatis Iesu, qua Thyrsus Gonzalez ad munus Generalis Praepositi evectus est.

Nam, ut ipse *Wouters* 22 refert, Patribus congregatis Cardinalis N. iussu Pontificis declaravit „mandatum sibi esse a SS. Domino Nostro, ut Patribus exponeret, eius Sanctitatem cupere, ut in doctrina de opinione probabili *liberum esset* Societatis theologis tenere atque etiam scriptis publicis, *si vellent,* tueri, in concursu opinionis magis probabilis magisque tutae quod haec sequenda sit prae minus probabili minusque tutae".

5° refertur consilium S. Officii sub *Innocentio XII,* quod occasione alicuius doctrinae liberioris tractandae anno 1693 E^mi^ Patres ceperunt, precandi S. Pontificem, ut edendum demum curaret librum Thyrsi Gonzalez, qui etiam ut Praepositus Generalis difficultates graves in suo Ordine contra illum librum edendum patiebatur. Quibus precibus Innocentius XII annuit, ita ut post tot vicissitudines liber correctus tandem 1694 lucem aspexerit.

Verum quid haec probent contra probabilismum, quasi S. Sedes eum sit aversata, non video. Liber Thyrsi Gonzalez certe habuit suos patronos et suos adversarios. Neque tamen omnes qui ut liber ille ederetur egerunt, doctrinae illius patrocinium susceperunt. Cur igitur Innocentium XII hoc patrocinium atque contra probabilismum inimicitias suscepisse, concludere liceat? Quodsi re vera hoc patrocinium suscepisset, in apertissima oppositione fuisset contra S. Alphonsum qui istius libri, ut supra vidimus, acerrimus est adversarius. Neque quisquam dubius hodiedum esse potest, ex utrius partibus sibi standum sit, ut „sequatur ductum Ecclesiae". Verum tantum abest, ut Innocentius XII steterit ex partibus Thyrsi Gonzalez in re morali, ut familiariter usus sit Ven. P. Segneri eique in munere missionarii

et postea officii theologi Poenitentiarii multum faverit, viro, quo maiorem et acriorem adversarium doctrina Thyrsi Gonzalez vix habuit umquam, et qui ad defendendum probabilismum publice in aciem prodiit, severioremque doctrinam tamquam saluti animarum perniciosam omni ope studuit excludere.

6° refertur responsum *Clementis XI* (*Wouters* 25 et *Ter Haar* 82) quod dicitur is dedisse ad libellum supplicem Thyrsi Gonzalez rogantis, ut S. Pontifex Superiores Societatis enixe adhortetur, ne porro doceatur probabilismus. Recepto libello dicitur respondisse „rem gratissimam Sanctitati Suae facturos Superiores Societatis, si praestent, ut Iesuitae abstineant a docenda et defendenda sententia, quae asserit, licitum esse usum opinionis minus probabilis et minus tutae, cum Sanctitati Suae compertum sit, ita omnino expedire ad incolumitatem et honorem Societatis".

Verum de edendo decreto, quo S. Pontifex Superiores adhortaretur, altum servatur silentium. Immo cum paucis annis postea scil. circa finem anni 1706 — ut refertur *Döllinger-Reusch,* Moralstreitigkeiten I 265 sqq — similis libellus supplex offerretur a P. *Camargo,* ut S. Pontifex non solum moneat, sed iubeat, ne quis Iesuita probabilismum doceat vel defendat, *Clemens XI* libello supplici apposuit verbum *„Lectum",* quo aperte significavit, se eiusmodi preces nihili ducere neque sibi in mentem venire, contra probabilismum quidquam decernere. *Adeo* hic Pontifex eliminandus est ex numero adversariorum probabilismi!

Nam utut personaliter probabiliorismo magis favebat quam probabilismo, ex iis quae ut Pontifex gessit nihil potest erui, quo ostendatur, S. Sedem probabilismo aversatum esse.

Quae vero *Ter Haar* 81 sui opusculi profert, videlicet *Benedictum XIII* et *Benedictum XIV* laudasse opera probabilioristarum, ut Theologias morales concinnatas a *Genet* et ab *Antoine,* eosque libros in scholas induxisse: rationes sunt plane infirmiores, quibus hostilis animus contra probabilismum nullatenus ostendi potest. Sunt enim complures scriptores probabilioristae, qui satis moderate singulas quaestiones morales quam plurimas decidere soleant, ita ut a probabilistis eos vix possis discernere; magis etiam sunt, qui, seposito systemate morali, claritate doctrinae et nitore excellant: hos commendari posse eorumque libros induci, nemo est qui ambigat; neque tamen inde sequitur omnes et singulas eorum sententias approbari, reprobari quaelibet opposita. Imprimis autem falsissime Benedictus XIV adversarius probabilistarum habetur; nam ex eorum numero sunt quam plurimi quos summis laudibus effert, sufficit nominasse *Lacroix,* nominasse *Lugo* et *Suarez* quos *„lumina theologiae“* vocat, nominasse *S. Alphonsum,* cuius Theologiam moralem ed. 2ae summopere laudat eamque qua expressis verbis principia nudi probabilismi contra probabiliorismum exponuntur et defenduntur.

§ 20. Auctoritas Ecclesiae potiore iure in favorem probabilismi invocatur quam contra illum.

Concludamus! Toto illo tempore ab Alexandro VII usque ad Benedictum XIV, quo *Wouters* vult Ecclesiam toties probabilismum aversatam eumque exstinguere conatam esse, nullus invenitur S. Pontifex, qui non plenam libertatem docendi probabilismi theologis concesserit, et qui, rogatus ut illud systema exstingueret, id non declinaverit vel aperte negaverit. Quod tantum

abest, ut *S. Sedis* hostilitatem contra probabilismum ostendat, ut potius eius favorem manifestet, favorem vel ab iis praestitum, qui, si *privatam* eorum mentem privatumque studium consulis, potius ex partibus antiprobabilistarum erant. Posteriore autem tempore longe etiam apertius S. Sedes probabilismo favebat.

Quae vera esse et legitime concludi, auctores sunt etiam libelli periodici „Theologische Revue" quos alias adversarius in suas partes trahere conatur. En eorum verba, quibus D. A. Beck refert de nostro libello Patris Ter Haar:

> „Verum quoniam Ecclesia sine ulla infestatione probabilismum tolerat, quoniam permittit, ut probabilismus in magno numero scholarum publice doceatur, in libris ubique diffusis defendatur, atque multa milia sacerdotum eum teneant et secundum eius doctrinas fideles doceant ac dirigant: dici sane debet, auctoritatem Ecclesiae pro probabilismo posse invocari. Quare si, ut Ter Haar ait, probabilismus in praxim deductus, esset contra bonos mores: Ecclesia a gravi crimine non esset immunis, quod systema adeo perniciosum semper in sinu suo toleraret, Ecclesiae autem adversarii iure merito eam accusarent, quod pravis moribus inter fideles divulgandis faveret. Quodsi scriptor noster hanc incriminationem ab Ecclesia depellere conatur, conatus meo iudicio eum fefellit. Neque eum iuvat, decretum Innocentii XI invocare. Illud enim hoc tantum dicit, ut cuilibet Societatis Iesu membro liberum sit stare ex parte opinionis probabilioris, dimicare contra oppositam. Innocentius, utut multis et laxis opinionibus, quae tum temporis circumferebantur, ad edendum illud decretum permotus fuerit, tamen

probabilismum non tamquam systema illicitum condemnat" (Theol. Revue 1905, n. 11, 340)[1].

Certe omnibus compertum est, ab integro fere saeculo Romanos Pontifices non tolerasse tantum sed instituisse theologiae moralis magistros in ipsis scholis Pontificiis eos qui probabilismum professi sunt et profitentur, eosque habuisse in ipsa S. Poenitentiaria consultores et theologos. Qui crimen esse dicunt, probabilismum sequi, qui mores christianos a probabilismo laxari contendunt: nonne ipsos Romanos Pontifices reos faciunt? Cl. *Wouters* (119) causatur „magnum influxum Societatis Iesu in scientiam theologicam", quasi hunc influxum — si vere eum habuerit — exercere possit contra ipsos S. Pontifices! Cogitet, quaeso, lector, ut

---

[1] „Da die Kirche den Probabilismus ruhig duldet und es zugibt, daß er an einer großen Zahl von Anstalten offen gelehrt, in weitverbreiteten Werken eingehend verteidigt wird und daher Tausende von Priestern zu seinen Anhängern zählt, die nach seinen Grundsätzen die Gläubigen belehren und leiten, so muß man zugeben, daß die Kirche ‚amtliche Beziehungen' zum Probabilismus hat. Denn wäre dieser, wie Ter Haar behauptet (S. 28), in der Praxis unsittlich und unerlaubt, dann könnte man die Kirche nicht von einer großen Schuld freisprechen, wenn sie stets und stets ein so verderbliches System in ihrer Mitte duldete, und die Gegner hätten recht, die Kirche der Begünstigung der Unsittlichkeit unter den Gläubigen zu beschuldigen. Der eigentliche Zweck, die Kirche vor diesem schweren Vorwurf zu schützen, ist m. E. dem Verfasser nicht gelungen. Auch die Berufung auf das Dekret Innocenz' XI. kann nicht helfen. Denn dieses sagt nur, es solle einem jeden Mitglied der Gesellschaft Jesu freistehen, für die wahrscheinlichere Meinung einzutreten und die entgegengesetzte probabilistische zu bekämpfen. Innocenz verurteilt damit den Probabilismus nicht, etwa gar als ein unsittliches System, abgesehen davon, daß er zu seinem Erlaß bewogen wurde durch die vielen laxen Meinungen, die zu seiner Zeit grassierten."

de aliis taceam, totam seriem Pontificum praeterlapsi saeculi: hi certe non fuerunt ii, qui inviti duci se sinerent vel doctrinis circumveniri quas reprobabant.

§ 21. Ad incriminationes probabilismo obiectas brevis responsio.

Ex omnibus quae disputata sunt, luculentissime apparet, quam falsae sint accusationes, quas ab adversariis contra probabilismum allatas p. 2 sqq congessi. Singulas iam expedit perstringere.

1° Quod impingatur probabilismo nota „veri laxismi" eaque tamquam a S. Alphonso ipso (Lettere II n. 188) systemati inusta dicatur, vero non consonat. Cur autem adversarius addat, hanc contra probabilismum incriminationem „a S. Sede nullae censurae obnoxiam habitam esse", non capio; siquidem ipse eodem loco dicat, tale S. Sedis iudicium non excludere, quominus id, de quo ita iudicatum sit, postea inveniri possit *damnabile*. Ergo etsi S. Sedes ita dixisset, nihilominus ea S. Alphonsi de probabilismo sententia falsissima esse posset. — Verum S. Sedes ita nullatenus iudicavit; nam S. Alphonsus, cuius scripta S. Sedes nihil censura dignum continere dixit, talem probabilismi incriminationem non protulit. Verba S. Doctoris l. c. sunt haec: „Mihi scrupulo verterem, munus confessarii permittere et committere alicui ex Nostris, qui vellet sequi opinionem pro certo minus probabili cognitam. Quare hoc illi (Patri nostro) scripsi, ut id notum faciat omnibus sociis ibi degentibus. Et nunc rogo Reverentiam Vestram, ut id notum faciat omnibus Fratribus illic morantibus.

„Non loquor de opinionibus particularibus, siquidem in illis unusquisque aget secundum proprium dictamen;

sed loquor de generali systema, *quod volo ut teneatur, ne nostri Fratres incurrant in verum laxismum.*“ [1]

Ad quae verba S. Doctoris observanda sunt: S. Alphonsus timet, ne, qui sequatur certam aliquam sententiam probabilistarum, videlicet licere operari secundum opinionem quae cognoscatur certo ut minus probabilis, in verum laxismum incurrat. At 1. id nondum dicit, illam sententiam *esse* verum laxismum, sed summum eam *ansam dare posse* ad verum laxismum. Nam toto coelo ab invicem distant *aliquid esse* et *ad aliquid ansam dare posse.* 2. Multo minus verba S. Alphonsi dicunt *probabilismum* esse verum laxismum. Nam illa sententia non exprimit naturam probabilismi, maxime non illa sententia sumpta in eo sensu in quo eam intelligit S. Alphonsus. Sententia enim illa sumi potest sensu moderato, ita ut dicatur licere sequi opinionem probabiliori oppositam, quae sit et maneat vere et solide probabilis — ita intelligitur a veris probabilistis; sumi potest sensu lato, ac si dicatur licere sequi opinionem probabiliori oppositam quae non amplius sit vere et solide, sed tenuiter vel dubie probabilis — ita intelligitur et reicitur a S. Alphonso, atque ita intellecta laxa est et ducit ad laxismum, verum hoc sensu a veris probabilistis non admittitur. Sanctus igitur, ne aliquis suorum alumnorum istam sententiam laxo

---

[1] „. . . Avrei scrupulo di permettere e far confessare chi de' nostri volesse seguire l' opinione conosciuta per certamente meno probabile. Onde gli ho scritto che ciò lo faccia sentire a tutti i compagni di là. Ed ora prego V. R. di farlo sentire a tutti i Fratelli di qua. Io non parlo delle opinioni particolari; perchè in queste ognuno se regola secondo il proprio dettame; ma parlo del sistema generale che voglio che si tenga, acciochè non abbraccino i nostri Fratelli il vero lassismo.“

sensu sumat atque ita in laxismum incurrat, eam sic expressam seu istis verbis conceptam a se suoque systemate vult excludi.

2° Quod probabilismus accusatur perversi nisus, ea quae ad mores et officia spectant, decidendi secundum merum arbitrium et secundum cupiditates humani cordis, dignum non est, quod serio refellatur. Qui rationes intellectus ab affectionibus passionum non amplius scit discernere, sane ex cathedra theologiae moralis nescio quo descendere debet.

3° Accusatur probabilismus quod „multarum animarum iacturae causa" sit, idque ex dictis S. Alphonsi confirmare student. Ad quae respondeo: 1. Quod ad effatum S. Alphonsi pertinet, hoc loco similiter atque in *prima* incriminatione *Ter Haar* id quod S. Alphonsus de usu opinionum *improbabilium* dicit, ad usum probabilium opinionum transfert. Causam ruinae multarum animarum enim dicit (Lettere II n. 185) „eos probabilistas qui sequantur sententias ut minus probabiles cognitas", „*quas* — ait — *non habeo pro probabilibus*" [1]. Ergo

[1] Testimonium hoc S. Alphonsi est ex epistula, in qua refert suam opinionem circa aliquod opus theologicum, et ubi se dicit iam esse *probabilioristam*. Unde patet, verba S. Doctoris in hac epistula non esse sensu stricto sumenda, ac proin etsi severiora quaedam de probabilismo dixerit, ne id quidem severe fore accipiendum sed benigna interpretatione temperandum. Dicit autem: „Ed in quanto al sistema, io sono già probabiliorista, tuziorista, no; ma probabiliorista, come è l'autore del libro. . . . E così il libro è buono, ed *utinam* se metesse in pratica! perchè non vi è dubbio che così i tuzioristi col loro rigore fanno gran danno, come i probabilisti che seguono la meno probabile conosciuta (ch' io non la tengo pro probabile, perchè allora moralmente è promulgata la legge) sono causa della perdita di molte anime: e certamente sono più i confessori lassisti che i rigoristi."

intelligit usum earum sententiarum, quae adeo certe sint minus probabiles, ut evaserint improbabiles. Quas aliquando secutos esse aliquos ex iis qui se fatentur probabilistas, probabilismo abutentes, sane non est cur negem; sed eas non sequitur verus probabilismus.

2. Quoad rem ipsam, si agitur de sententiis vere probabilibus, *etsi forte dicantur minus probabiles,* si modo communiter habeantur pro probabilibus, non pro improbabilibus, S. Doctor toties agnoscit harum usum licitum esse *atque improbum planeque illicitum esse, earum usum prohibere,* ut nihil clarius dici possit. Numquid ita loqui potuit, si usum probabilismi veri et solidi habuisset pro causa ruinae animarum? Recolantur, quae S. Doctor habet in Theol. mor. VI n. 604 idque etiam in ultimis editionibus.

Approbatur ibi dictum *Cabassutii:* „Praescribat sibi quisque quascumque libuerit austerae vitae leges, caveant tamen tetrici isti censores, aliorum apud Deum licitam libertatem tyrannice opprimere" et aliud eiusdem scriptoris dictum: „Quivis confessarius absolvere debet poenitentem qui non vult ab opere abstinere, quod *secundum probabilem* piorum et doctorum aliquot hominum non reprobatam in Ecclesia auctoritatem est licitum: *quamvis iuxta probabilem pariter aliorum auctoritatem, quam ipse sequitur confessarius, habeatur ut minus probabilis.*"

Similiter laudatur dictum *Toleti: „Cum aliquid est sub opinione,* si casu accidit confessarium esse opinionis esse illicitum, et poenitentem, esse licitum, potest poenitens obligare confessarium, ut ipsum absolvat in sua opinione."

Item ex *Victoria:* „Sed quid facit [confessarius], quando ambae opiniones sunt probabiles et habent suos

proprios assertores? Respondeo, sive sit eius parochus sacerdos, sive non, tenetur eum absolvere in tali casu.... Probatur aperte: Talis enim est in gratia et confessor habet probabilitatem, quod sit in gratia, quia scit esse probabilem eius opinionem: *ergo non debet ei negare absolutionem; ergo sufficit probabilitas, etsi non sit maior et etiamsi sit minor.*"

Praeterea cum laude approbantur verba *S. Raymundi:* „Unum tamen consulo, quod non sis nimis pronus iudicare mortalia peccata, ubi tibi non constat per certam Scripturam . . . alias possent induci homines in desperationem", et verba *Sylvii:* „Si confessarii non possunt clare percipere, utrum ibi sit mortale aut solum veniale, persuadeant, quoad possunt, ut poenitens abstineat; si tamen nolit, non ei faciant conscientiam de mortali, ne deinceps mortaliter peccet, ubi alioquin non peccaret, neque absolutionem negent."

Ex quibus patet, secundum S. Alphonsum aliosque theologiae magistros probabilismum verum tantum abesse ut causet ruinam animarum, ut plane postuletur eius usus in animarum directione, ne cum gravi iniuria a sacramentis atque aeternae salutis mediis arceantur.

4° Probabilismum secundum *Ter Haar* 125 ductus divinae providentiae adversatur. — Ad quam accusationem respondeo, sufficere viro catholico sequi ductum Ecclesiae, ut securus esse possit, ne ductu divinae providentiae excidat. Ecclesiam autem nos eo duxisse et ducere, ut in sequendis probabilibus opinionibus securi esse possimus, ex supra dictis patet.

5° Gravior etiam accusatio contra probabilistas effertur (*Ter Haar* 136), quod non parum iuvent causam adversariorum Ecclesiae eorumque clamores contra mores

Ecclesiae corruptrices confirment. — Verene igitur inimici Ecclesiae iure clamitant, theologos catholicos mores corrumpere, si intelligant theologos probabilistas, atque in hoc solo errant, si, quod probabilistae faciant, id Ecclesiae imponant? Tali contra probabilismum accusatione re ipsa Ecclesiae calumniatores adiuvantur?

Si probabilismus mores corrumpit, huius corruptionis non impeditae rea est sine ullo dubio Ecclesia. Ut minimum dicam, Ecclesia saltem tacendo probabilismum fovit atque nutrivit. Approbando S. Alphonsum eiusque doctrinas fovit et approbavit ea, quae infideles et Ecclesiae osores calumniando traducunt tamquam inhonesta et turpia. Et re vera, ex quo tempore S. Alphonsus coepit dux esse theologiae moralis in scholis catholicis, vix ullus est hostis Ecclesiae, qui si studuit impugnare catholicorum doctrinam moralem, prae aliis non impetiverit S. Alphonsum.

6° Quod porro obicitur (*Wouters* 103), Ecclesiam saepe aversatam esse probabilismum neque quidquam avidius eam cupere nisi ut systema illud deseratur, cum rebus gestis, ut antea ostensum est, minime congruit. Facta longe aliter loquuntur.

7° Similiter missum facere possum, quod *Ter Haar* 157 putat, probabilismum anachronismum esse atque regressum in viam iam diu repudiatam. Nam probabilismo vindicato, haec per se corruere necesse est.

8° Quod demum *Ter Haar* 10 adeo fidenter dicit, probabilismi defensores contra antiprobabilistarum argumenta solas sophisticas subtilitates afferre posse, num sit verum, benignus lector, quaeso, ex dictis diiudicet.

Propositum meum absolvi. Plura quidem ad stabiliendum probabilismum dicere possum, sed omitto. Coactus

haec scripsi, ut defenderem systema quod secutus sum et doctrinam quae in libris meis per orbem catholicum sparsis continetur, non vincendi cupidine ductus, sed amore veritatis.

Persuasum quidem mihi est, etiam adversarios amore veritatis et puritatis morum servandae duci; sed fingunt sibi laxitatem, ubi non est. Nam quod saepius dixi, denuo repeto, me inter moderatum sive aequiprobabilismum sive probabilismum discrimen theoreticum exiguum, practicum aut nullum aut vix ullum agnoscere.

Propterea pacem et concordiam atque communes labores contra Ecclesiae et christianae vitae hostes contentionibus domesticis censeo esse praeferendos. Quae vota mea Deus bene vertat!

Alia opera latina P. Augustini Lehmkuhl:

Theologia moralis. *Editio decima, ab auctore recognita et emendata.* Cum approbatione Revmi Archiep. Friburg. et Super. Ordinis. 2 volumina in 8° (XXXVI et 1716 p.) Pretium: *M* 16.— = *Fr.* 20.—; a dorsis corio religata *M* 20.— = *Fr.* 25.—

„. . . C'est un exposé complet de la théologie morale, dont le plan est largement conçu et savamment exécuté. **Il l'emporte assurément, et de beaucoup, sur tous les manuels en usage dans nos Grands-Séminaires. . . .**"
(Moniteur bibliographique, Lyon.)

". . . Several of our esteemed foreign contemporaries have been content with echoing the keynotes of our humble utterances, and two at least have done us the honour of quoting the words in which we said **the book would mark an epoch in Moral Theology. . . .**" (The Month, London.)

Compendium Theologiae moralis. *Editio quarta, ab auctore recognita.* Cum approbatione Revmi Archiep. Friburg. et Super. Ordinis. In 8° (XXIV et 618 p.) Pretium: *M* 7.— = *Fr.* 8.75; a dorso corio religatum *M* 8.60 = *Fr.* 10.75

„. . . Ce livre promet de devenir le vade-mecum des prêtres qui exercent le saint ministère et de remplacer Gury dans l'enseignement des séminaires."
(Semaine religieuse du diocèse de Cambrai.)

Casus conscientiae ad usum confessariorum compositi et soluti. Cum approbatione Revmi Archiep. Friburg. et Super. Ordinis. *Editio altera.* 2 volumina in 8° (XVI et 1160 p.) Pretium: *M* 12.80 = *Fr.* 16.—; a dorsis corio religata *M* 16.80 = *Fr.* 21.—

„**Opus omni aestimatione dignissimum**, cui et Confessariorum, illud attente legentium, maxima respondebit utilitas. Siquidem doctrinae dominium, ordo, facilitas, securitas casuum omnium solutionem mirifice commendant."
(Ephemerides Liturgicae, Romae.)

Apologeticae de aequiprobabilismo Alphonsiano historico - philosophicae dissertationis a R. P. *J. de Caigny* C. SS. R. exaratae Crisis iuxta principia Angelici doctoris instituta. Auctore **G. Arendt** S. J. Accedit dissertatio scholastico - moralis pro usu moderato opinionis probabilis in concursu probabilioris a S. Alphonso de Liguori E. D. anno 1755 primum in lucem edita. Cum approbatione Rev. Magistri S. P. A., Rev. Vicesger. SS. D. N., Rev. Vic. Cap. Friburgensis, Superiorum Ordinis. 8⁰ (VIII et 466 p.) Pretium: *M* 4.— = *Fr.* 5.—; a dorso corio relig. *M* 5.80 = *Fr.* 7.25

„Nous recommandons chaudement cet ouvrage à tous les amateurs de bonne philosophie et de théologie raisonnée. Le titre, trop modeste, ne laisse pas entrevoir la pénétration de jugement, la sagacité d'interprétation, la richesse d'érudition étalées pour ainsi dire à chaque page de ce livre. Quelles fines analyses des diverses situations de l'esprit devant la vérité, de l'influence exercée par la volonté sur l'intelligence! Bien des philosophes, nous en sommes convaincus, y trouveront des lumières pour les problèmes les plus ardus de la logique. La parfaite courtoisie de la forme permet d'ailleurs aux disciples de toutes les écoles d'apprécier et de goûter la belle œuvre du R. P. Arendt. Et quant à ceux qui s'intéressent à la grande et toujours vivante question du probabilisme, il leur suffira d'entendre ce jugement formulé par le R. P. Lehmkuhl, dans les *Stimmen aus Maria-Laach:* Que **désormais il n'est permis à aucun d'eux de faire abstraction de ce travail.**“

(Le Bien Public, Gand.)

3 5282 00074 6639



DATE DUE

BX1759.5
P7
L4x

STACKS BX1759.5.P7 L4x
Lehmkuhl, Augustin,
Probabilismus vindicatus
3 5282 00074 6639